DE

A. M. SEVERINO BOETIO

CHRISTIANO VIRO
PHILOSOPHO AC THEOLOGO

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM BISUNTINENSI

L.-C. BOURQUARD

PRESBYTER, IN SACRA THEOLOGIA DOCTOR
IN LITTERIS LICENTIATUS.

ANDEGAVI
EX TYPIS GERMAIN ET G. GRASSIN
VIA S. LAUDI

M DCCC LXXVII

DE

A. M. SEVERINO BOETIO

CHRISTIANO VIRO

PHILOSOPHO AC THEOLOGO

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM BISUNTINENSI

L.-C. BOURQUARD

PRESBYTER, IN SACRA THEOLOGIA DOCTOR

IN LITTERIS LICENTIATUS.

ANDEGAVI

EX TYPIS GERMAIN ET G. GRASSIN

VIA S. LAUDI

M DCCC LXXVII

REVERENDISSIMO, ORNATISSIMO

ET CONJUNCTISSIMO

D. D.

CAROLO ÆMILIO FREPPEL

EPISCOPO ANDEGAVENSI

D. D. D.

L.-C. BOURQUARD.

DE ANICIO MANLIO SEVERINO BOETIO

CHRISTIANO VIRO, PHILOSOPHO AC THEOLOGO.

PROŒMIUM

Anicium Manlium Severinum Boetium [1], virum christianum, necnon philosophum ac theologum, contra criticæ sic dictæ hodiernæ placita, tuendum et propugnandum suscipimus. Huic enim doctissimo et amplissimo viro, qui inde a vetustissima ætate hodiedum usque in ecclesia Papiensi religioso cultu decoratur, quem tota christiana philosophorum Schola veneratur, cujus opuscula theologica tam luculentis commentariis illustravit Doctor Angelicus, nonnulli e nostra ætate, haud ignoti nominis viri, fidei christianæ professionem denegant; quin et spuria esse opera ejus theologica, librumque illum percelebrem *de Consolatione philosophiæ* tanta sententiarum gravitate, tam elegantibus carminibus refertum, nullo quidem vestigio auctorem christianum referre asserunt. Alii autem Boetium

---

[1] Utrum *Boethius* vel *Boetius* scribendum non satis patet, cum in monumentis inscriptis quæ supersunt, Boethius et Boetius inveniuntur. Si nominis hujus origo ex græco fonte desumitur, fatemur melius scribi *Boethium.* Contra est autem Procopius, qui Βοέτιος ut verum Anicii nostri nomen usurpat. Doctus Aschbach (*Die Anicier und die roemische Dichterin Proba*, Wien, Gerold, 1870, p. 11), nomen Boetii a Boario foro detorquet, eo quod hæres fuerit Boetius paternæ domûs quæ in hoc loco, non longe a Capitolio, in conspectu erat. Rem prorsus indifferentem in medio relinquentes, in hujus nominis scriptione, recentissimos Boetii operum editores, Migne et Peiper insecuti sumus.

christianum fuisse concedunt, non quidem eum qui pro christiana fide martyr occubuerit, sed tepidum et inertem virum, qui potiorem vitæ partem, vel ariano regi Theodorico inserviendo, vel ethnicorum philosophorum opera perlustrando traduxerit. Ita quidem censent e nostris Victor Le Clerc [1], C. Jourdain [2], Judicis de Mirandol [3], Langsdorff [4], et apud Germanos Arnoldus [5], Handius [6], Ritter [7], Baur [8], Obbarius [9] et Nitzschius [10].

Pro tuendis autem Boetii partibus non soli ac tenues in aciem procedimus; stant enim e nostris castris bene multi ac doctissimi viri inter quos referre liceat Süttner [11], Bæhr [12], Schündelen [13], Bosisio [14], Peiper [15], ac rerum eccle-

---

[1] Ad cujus Prælectiones, non quidem editas, alludit C. Jourdain dum dicit : Boèce a-t-il été le fervent chrétien que l'histoire ecclésiastique nous représente? Est-il l'auteur des ouvrages de théologie qui portent son nom? Sa foi religieuse a-t-elle contribué aux persécutions dont il fut victime? Il y a plusieurs années, M. V. Le Clerc posait déjà ces questions, et il les tranchait par la négative dans une série de leçons dont le souvenir est encore vivant chez ceux qui les ont entendues (*De l'origine des traditions sur le christianisme de Boèce*, par Ch. Jourdain. Mémoires présentés à l'Académie, t. VI, 1860, p. 331).

[2] In opere supra dicto.

[3] *La Consolation philosophique de Boèce*, par Louis Judicis de Mirandol, Paris, Hachette, 1861.

[4] *Revue des Deux-Mondes*, Théodoric et Boèce, année 1847, t. XVII, p. 852.

[5] *Kirchen und Ketzerhistorie*, Schaffouse, 1740, tome I, lib. VI : « On devrait » presque compter parmi les païens le célèbre Sévérin Boèce, si on ne lui attri- » buait, mais sans fondement, certains écrits de polémique, entre autres un livre » contre Eutychès et Nestorius, et un autre sur la Trinité. »

[6] *Encyclopédie de Ersch et Grüber*, t. XI, p. 283.

[7] *Hist. de la philos. trad. de l'allemand*, t. II, Paris, 1844.

[8] *De A. M. S. Boethio, christianæ doctrinæ assertore*, Darmstadii, 1861.

[9] *Boëthius, ad cod. fidem, cum Proleg.*, Iéna, 1843.

[10] *Das system des Boëthius*, Berlin, 1860.

[11] *Boëthius, der letzte Rœmer*. Programm. Eichstadt, 1852.

[12] *Geschichte der rœmischen Literatur*, t. II, Carlsruhe, 1845.

[13] *Divers articles dans le Theologisches Literaturblatt*, Bonn., 1868-70-71.

[14] *Sull' autenticita delle opere Teologiche di Anicio, M. Torquato, Severino Boezio*, Pavia, 1869.

[15] *A. M. S. Boetii, Philosophiæ consol. Lib. quinque*, accedunt ejusdem atque incertorum opuscula sacra, recensuit R. Peiper, Lipsiæ, 1871.

siasticarum scriptores Baronius, Mabillonius, Huetius, Bossuetius [1], Rohrbacher, Mœhler [2], et præsertim recentissimus amicissimusque E. Darras [3]. Ad quorum sententiam accedentes, quantulocumque conatu nostro, plane perspicuum efficere satagemus

I. — A. M. S. Boetium, e christiana stirpe natum, ad exactam christianæ religionis normam vixisse, nec rebellem, sed pro fide christiana occisum fuisse;

II. — Librum *de Consolatione philosophiæ*, a Boetio philosopho exaratum perplura haud obscura christianæ fidei vestigia continere;

III. — Eumdem esse genuinum auctorem librorum circa res e sacræ theologiæ penetralibus desumptas, qui inde a sæculo octavo ipsi adscribuntur.

Triplex ergo nostræ qualiscumque disquisitionis caput. Ut amatæ veritatis indagatores, non autem ut præjudicatæ opinionis studiosi, rem totam ex historiæ, philosophiæque fontibus conficiemus, longum brevi curriculo stadium dimetientes, non docere sed demonstrare solliciti, non multis sed firmis fulti argumentis, ut qui assensûs vel ab invitis ac reluctantibus extorquendi in animo habeamus. Jam, legentium bona venia, ad propositum pergamus.

---

[1] Dans la préface de l'édition de P. Cally, *ad usum Delphini*, voir Migne, t. LXIII, col. 553.

[2] *Histoire de l'Eglise*, par Mœhler, publiée par Gams, Paris, Gaume, 1869, t. II, page 33.

[3] *Hist. génér. de l'Eglise*, t. XIV, Paris, Vivès, 1870.

PRIMA PARS

DE BOETIO CHRISTIANO VIRO.

CAPUT PRIMUM.

BOETIUS E GENTE ANICIA.

Hæc e codice Rehdigeriano olim in monasterio Sancti-Michaelis in Hildesheim asservato, quique sæculo XI vel XII adscribendus est, de vita Boetii ad marginem addita deprompsit recentissimus Boetii editor Peiper :

« Anno dominicæ incarnationis quadringentesimo quinto
» Odoacer quidam rex barbarus invasit Ytaliam. Contra
» quem Seno imperator Constantinopolitanus misit Theo-
» doricum regem Gotorum commendans ei præcipue Sena-
» tum romanum et populum. At ille contra occiso Odoacro
» et invasa Ytalia omnem pene nobilitatem romanam dis-
» perdidit. Denique Simachum socerum Boetii ferro inter-
» fecit. Ad quem idem Boetius tum alios tum librum de
» Trinitate transcripsit. Nec minus fame necavit Johannem
» papam. Ad quem idem Boetius adhuc dyaconum librum
» contra Nestorium et quædam alia edidit. Postremo et
» ipsum Boetium insimulatum apud se quod literas im-
» peratori de libertate romana misisset apud Papiam car-
» cere clausit. Deinde post scriptos ibidem de Consolatione
» libros eductum quasi ut se de objectis purgaret circum-

» sedentibus amicis interfecit. Sequenti anno Theodoricus
» Ravenne subita defecit morte. Boetius autem honorifice
» tumulatus est Papiæ in cripta ecclesiæ, et vocatur
» Sanctus Severinus a provintialibus, quod ei prenomen
» fuit[1]. »

Hæc verbo tenus referre placuit, quia maxime cum cæteris codicibus ac fidissimis rerum scriptoribus concordat auctor, et quia plane Boetium christianum ac theologum asserit.

Tres e vetustissimis codicibus, scilicet Gothanus (s. XII), Bernensis (s. XI), ac Bambergensis II (s. XI) referunt Boetium ad illustrem illam Aniciam gentem pertinere, cui adnumerantur permulti e Corneliis, e Magnis, e Deciis, e Gordianis et e Manliis, necnon et sancti Martyres aquilejenses, Cantius, Cantianus et Cantianilla[2], Paulinus etiam, pius ille Nolæ episcopus, tum Cassiodorus senator et Ennodius, papiensis episcopus, tum summi Pontifices Felix II, Gregorius Magnus, Hadrianus I et in medio ævo Innocentius III papa.

Aniciæ gentis caput fuit Anicius Quintus Gallus, e Preneste oriundus, qui, circa annum 470 ante Christum, Romam venit, ac civitatem romanam obtinuit. Anicia gens inter civiles discordias, agendi ratione moderata ac pacifica, potens et nobilis evasit. Ad hujus propinquitatem accesserunt Pincii sive Olybrii, Petronii et Probi. Inde illud Cassiodori qui et ipse ad Magnos pertinebat : « Anicios quidem pene

---

[1] Peiper, Lipsiæ, 1871, p. XXXV.

[2] *Martyrol. rom.* die 31 maii. — Passio Beat. martyr. Cantian. Inter S. Ambrosii opera. Edit. benedictin., t. II, p. 458.

principibus pares ætas prisca progenuit[1]. » At maximum decus huic genti advenit, cum, anno post Christum 325, Anicius Julianus consul fidem christianam amplexus est. Ad summam laudem pervenit Anicia gens, Anicio Probo consule, anno 371. Ille est enim Anicius Petronius Probus, præfectus Urbis, qui Ambrosium præfectum Mediolanum misit hoc mandato : vade non ut judex, sed ut episcopus. Atqui Ambrosius erat Probo propinquus et in fide christiana confirmatus. Uxor Anicii Probi erat celebris illa poetria Faltonia Proba, quæ Centones de Christi historia virgilianis versibus adornaverat, atque Alarico Romam invadente, cum a nonnullis paganis accusaretur de Porta Salaria Barbaris tradita, coram accusantibus immota permansit. His versibus opus suum legendum ac filio tradendum ad Arcadium imperatorem mittebat Faltonia Proba :

Romulidum ductor, clari lux altera solis,
Eoi qui regna regis, moderamine certo,
Spes orbis, fratrisque decus, dignare, Marone
Mutato in melius, divinum agnoscere sensum.
. . . .
Hæc relegas, servesque diu, tradasque minori
Arcadio, hæc legat ille tuo generi, hæc tua semper
Accipiat doceatque suos Augusta propago [2].

Faltoniæ filius, indubitanter christianus, filiam nuptui dedit atavo Boetii, Flavio Manlio Theodoro consuli, anno 399, cui librum *de Beata vita* dedicavit D. Augustinus. Ipse autem Hipponensis Doctor de Anicia gente ad

---

[1] *Var.*, lib. X, ep. II.
[2] *Cento virgil. hist. v. et n. Test. complexus.* Halæ-Magdeb. 1719.

istam Probam et ad Julianam, nobiles viduas, ita scripsit: « Generosius quippe eligit Aniciana posteritas tam illustrem familiam beare, nuptias nesciendo, quam multiplicare pariendo, et in carne jam imitari vitam angelorum quam ex carne adhuc numerum augere mortalium [1]. » De eadem scripsit Hieronymus in epistola octava ad Demetriadem, ubi hanc virginem Olibrio, Probæ filio, natam esse significat, tum ejusdem Probæ genus amplissimis prosequitur laudibus : « Proba illa omnium dignitatum et cunctæ nobilitatis in orbe romano nomen illustrius, cujus sanctitas et in universos effusa bonitas, etiam apud Barbaros venerabilis fuit : quorum trium liberorum Probini, Olibrii et Probi non fatigarunt ordinarii consulatus... » Aniciam gentem ante alias, Christi partes secutam, his versibus celebrat Prudentius :

Fertur enim ante alios generosus Anicius urbis
Illustrasse caput. Sic se Roma inclyta jactat.
Quin et Olybriaci gentisque et nominis hæres,
Abjectis fastis, palmata insignis ab aula,
Martyris ante fores Bruti submittere fasces
Ambit, et Ausoniam Christo inclinare securim [2].

Fuit enim Anicia gens quæ Christo venienti viam pararet, atque omnium maxime vim et operam posuit in fide Christi dilatanda tuendaque [3].

Faltoniæ Probæ filius, Anicius Probus filiam nuptui de-

---

[1] *Opera omnia*, edit. benedict., t. II, p. 282.
[2] Prudentius, adv. Symm., Migne, t. LX, col. 164.
[3] Hæc de Aniciis ex Aschach in linguam gallicam transtulimus : « On ne rencontre aucune autre famille romaine qui ait, pendant une si longue suite de siècles, exercé une influence politique égale à celle des Anicius. Déjà, à l'époque des guerres que Rome soutint pour acquérir la domination sur l'Italie, les Anicius sont comptés parmi les citoyens distingués et influents ; aussi arrivent-ils bientôt

derat, uti diximus, atavo Boetii nostri, scilicet Manlio Theodoro, beati Augustini amicissimo. Avus autem Boetii fuit ille præfectus Prætorii [1], qui contra Attilam celebrem illam in Campis Catalaunensibus victoriam cum Aetio duce obtinuit. Postea calumniis oppressus apud imperatorem Valentinianum cum eodem Aetio occisus est. Boetii pater, Anicius Manlius Flavius Boetius [2], consul fuit anno 487. Nomen ac genus matris ignotum.

Hæc de Boetii majoribus sufficiant, ut firmiter teneamus ipsum ortum esse e parentibus christianis ac christiana fide

---

aux premières charges de l'État. Mais ils prennent une position exceptionnelle au moment où Constantin-le-Grand donne à l'Empire romain une nouvelle organisation, et où, l'ancien culte disparaissant, la religion chrétienne devient la religion de l'État. Les Anicius furent alors l'une des premières familles patriciennes qui embrassèrent avec le plus de résolution et de zèle le nouveau culte, et, par leur adhésion aux institutions de Constantin, contribuèrent le plus efficacement à faire passer Rome païenne sous l'empire du Christ. Par leur haute position à la cour, par leurs alliances de famille et par leur puissante influence dans le Sénat, qui était redevenu considérable, par leurs largesses inépuisables, par leurs immenses possessions en Italie et dans la plupart des provinces de l'Empire, les Anicius furent, dans les deux derniers siècles, à peu près le seul pouvoir politique qui arrêta et retarda la chute définitive de l'Empire d'Occident. On les vit successivement en possession de toutes les hautes magistratures; quelques-uns d'entre eux montèrent même jusqu'au trône impérial. Leur puissance et leur considération ne fut pas ensevelie sous les ruines de l'Empire d'Occident. Ils surent se ménager l'amitié des rois de race germanique qui dominèrent en Italie avec la faveur des empereurs d'Orient. La vanité, l'ambition des rois Vandales et Goths se trouvait satisfaite d'entrer par des mariages dans la parenté des Anicius. Les empereurs de Constantinople, eux-mêmes, prenaient le surnom d'Anicius, comme s'ils fussent descendus de la *gens Anicia*. Dans ce même temps, des membres de cette famille revêtaient en Occident la plus haute dignité ecclésiastique, le souverain Pontificat. Les Anicius ne furent point étrangers à la gloire des lettres, à une époque où les sciences et les arts se précipitaient vers la décadence. A leur famille appartenaient le pieux poète saint Paulin, évêque de Nole, le célèbre philosophe Boèce, la femme poète Faltonia Proba. Ces divers écrivains, en conservant les traditions de l'antiquité classique, exercèrent une grande influence sur la direction du mouvement intellectuel pendant le moyen-âge.» (*Die Anicier und die rœmische Dichterin Proba*, Wien., 1870.)

[1] Cassiod., *Chronic.* ad consulatum Aetii et Studii, anno 454, editio Gareti. p. 394.

[2] Vallinus, *de vita Boetii*, Migne, t. LXIII, col. 555.

jam hæreditaria imbutis. Ea enim ætate, jam vetebantur a lege civili et ecclesiastica paganos inter et christianos connubia [1]. Igitur cuilibet dubium moventi, an vir christianus fuerit Boetius, afferre necesse est argumenta ac rationes, quibus certa inconcussaque facta convellere valeat.

Post annum ætatis duodecimum patre orbatus Boetius humanissima cura, benevolentia, studioque duorum amplissimorum virorum susceptus est, ut ipse narrat [2], Fortuna verba faciente : « Taceo quod desolatum parente, » summorum te virorum cura suscepit, delectusque in » affinitatem principum civitatis, quod pretiosissimum pro- » pinquitatis genus est, prius carus quam proximus esse » cœpisti. » Isti duo Boetii curatores fuerunt Festus ac Symmachus, senatores ambo.

Festus ille, vir illustris, princeps senatûs, scientia pariter et æquitate conspicuus, scholas Romæ instauraverat, ad quas Patriciorum filii ex diversis imperii partibus confluebant [3]. Symmachus vero est ille Quintus Aurelius Memmius Symmachus quem omnes præclaris laudibus exornant, quique inter sanctos ab Ecclesia catholica deputatus est [4]. Si testis auditur Boetius [5] fuit Symmachus « vir totus ex sapientia virtutibusque factus » « socer etiam sanctus et æque actu ipso reverendus ; » si Cassiodoro fidem facimus, magnificentia sua Symmachus Romam publicis ac privatis ædificiis decoravit. Multiplices et præclarissimas fabricas in Urbe ac suburbanis constituendas curavit, quin et ipsum

---

[1] *Codex Theodos.*, lib. III, tit. IV ; *Concil. Chalced.*, act. XV, can. XIV.
[2] *Consol.*, lib. II, prosa 2.
[3] Cassiod., *Var.*, lib. I, epist. XV et XXXIX.
[4] *Acta Sanctor.*, t. XIX, die 23ª Octob.
[5] *Consol.*, lib. II, p. 4 ; lib. I, p. 4.

Pompeii theatrum suis ac regis Theodorici sumptibus reædificandum suscepit[1]. Hæc de Symmacho ac ejus genero Boetio scripsit Procopius[2] : « Symmachus et ejus gener Boetius, alto majorum sanguine, principes vero senatus romani et consules fuere, philosophiæ et æquitati supra cæteros mortales studuerant, multisque egenis tum romanorum, tum externorum opibus suis subvenere. Hi ad ingentem gloriam evecti deterrimos quosque in suî invidiam concitarunt, etc. » His Procopii verbis apprime consonant quæ de Symmachi ac de Boetii fide et charitate christiana aliunde elucent. Ad Symmachum enim scribit Ennodius[3] et eum his verbis salutat, quæ tantum inter christianos in usum venire possunt : « Vale in Christo nostro, Romanæ gentis nobilitas, et me jam ut clientem et famulum pro morum et naturæ luce dignare. » Ad eumdem et ad Faustum collegam epistolam direxit Avitus, Viennensis episcopus, durante Romæ Cœlii Laurentii schismate, in qua Symmachi, ut christiani viri ac senatoris, animum studiumque in Ecclesiam et Petri Sedem accendere nititur[4].

---

[1] Cassiod., *Var.*, lib. VI, epist. LI; lib. XI, epist. I.

[2] *Σύμμαχος καὶ Βοέτιος, ὁ τούτου γαμβρὸς, ευπατρίδαι μὲν τὸ ἀνέκαθεν ἤστην. Πρώτω δὲ βουλῆς τῶν Ῥωμαίων καὶ ὑπάτω ἐγενέσθην ἄμφω τε φιλοσοφίαν ἀσκήσαντε, καὶ δικαιοσύνης ἐπιμελησαμένω οὐδενος ἧσσον πολιτῶν τὲ και ζένων χρήμασι τὴν ἀπορίαν ἰασαμένω, καὶ δόξης ἐπὶ μέγα χωρήσαντε ἄνδρας ἐς φθόνον τοὺς πικροτάτους ἐπηγαγέτην...* (Procop., *de Bello gothic.*, lib. I, c. I.)

[3] Lib. VII, ep. XXV, Migne, t. LXIII, col. 127.

[4] « Quibus cognitis, quasi senator ipse romanus, quasi christianus episcopus, obtestor, sic divinitatis cœlestis dono temporibus vestris prosperitas optata succedat, sic dignitas in qua floretis universo orbi speciem romani nominis mundo labente contineat, *ut in conspectu vestro non sit Ecclesiæ minor quam* reipublicæ status; quodque vobis Deus posse præstitit, prosit et nobis; nec minus in Ecclesia vestra Sedem Petri quam in civitate apicem mundi.... nostis bene quas hæresum tempestates, veluti ventis circumflantibus, fidei puppem ducamus. Si nobiscum hujuscemodi pericula formidatis, expedit ut *Gubernatorem vestrum* participato labore tueamini (S. Aviti, epist. XXXI, Migne, t. LIX, col. 249). »

Addamus et summi Pontificis Hormisdæ [1] testimonium quo Symmachus « vir magnificus » nominatur, ac demum S. Gregorii Magni verba de sancta Galla Symmachi filia [2] : « Galla, hujus urbis nobilissima puella, Symmachi consulis ac patricii filia... » Mirum prorsus inauditumque foret tam diligentem ac præclaram cujusdam ethnici viri memoriam christianos episcopos ac summos Pontifices his verbis celebravisse [3].

Maxima diligentia, liberalitate ac pietate educatus Boetius multa quidem et varia ingenii specimina dedit. Non dilucide apparet utrum Athenas adiverit ; nam Cassiodori verba rem dubiam relinquunt [4] at certum est ipsum in omni disciplinarum et artium genere multum profecisse, optimam rationem inveniendi eloquendique, sive in carminibus, sive in oratione soluta, ab optimis præceptoribus accepisse. Plurimæ e *Consolatione* sententiæ fidem faciunt ipsum a neoplatonica Procli coætanei doctrina non alienum fuisse, Platonis Aristotelisque libros assidua manu versavisse [5], Euclidis, Nicomachi, Pythagoræ, Ptolemoi et Archimedis inventa sua fecisse, ac quædam etiam, sive in musica, sive in mathematicis disciplinis excogitavisse. Exstat Ennodii epistola quæ miram Boetii

---

[1] Hormisdæ, epist. ac Decret., Migne, t. LXIII, col. 488.

[2] *Dialog.*, lib. IV, c. XIII.

[3] « Rien n'est plus hypothétique que le christianisme de Symmaque, » ait Judicis de Mirandol, *Introd.*, p. 21.

[4] Hoc te, multa eruditione saginatum, ita nosse didicimus ; ut artes quas exercent vulgariter nescientes, in ipso disciplinarum fonte potaveris. Sic enim Atheniensium scholas longe positus introisti ; sic palliatorum choris miscuisti togam, ut græcorum dogmata doctrinam feceris esse romanam (Cassiod., *Var.*, lib. I, epist. XLV).

[5] Respicio nutricem meam (philosophiam) cujus *ab adolescentia* Laribus obversatus fueram (*Consol.*, lib. VII, p. 3).

adolescentuli ingenii vim ac solertiam testatur; hanc in integro referre liceat, quia thesim nostram de Boetio christiano viro magnopere confirmare videtur : « Tu in me, » *emendatissime* hominum, dignaris prædicare virtutes, » quem in annis puerilibus, sine ætatis præjudicio, indus- » tria fecit antiquum; qui per diligentiam imples omne » quod cogitur; cui inter vitæ exordia ludus est lectionis » assiduitas, et deliciæ sudor alienus; in cujus manibus » duplicato igne rutilat, qua veteres face fulserunt; nam » quod vix majoribus circa extremitatem vitæ contigit, » hoc tibi abundat in limine. Vere dedisti pretium loqua- » citati meæ, dum desiderantem colloquuta primus aggre- » deris. *Deo gratias,* qui occultis itineribus de *propinqui* » vos necessaria affectione commovit[1]. »

Cum tanto studio flagraret Boetius in litteris addiscendis tantamque diligentiam et industriam in omni scientiarum atque artium genere impenderet, vix intelligitur ipsum a doctrina christiana abhorruisse, tamque cujuslibet veri et recti cupidum ingenium a catechesi christiana exulasse;

---

[1] Ennodii epistol., lib. VII, ep. XIII; Migne, tom. LXIII, col. 120. — Cum circa quosdam hujus epistolæ dictionum sensus non consentiant omnes, nostram, qualiscumque sit, in medium afferre liceat translationem.

Ennodius à Boèce,

Vous daignez, ô le plus accompli des hommes, louer en moi quelques vertus, vous qui, dès votre adolescence, avez su, sans rien perdre des avantages du jeune âge, atteindre à la perfection des vieillards ; vous qui de vous-même vous portez vers ces difficultés que la contrainte seule fait aborder aux autres ; qui, dès vos premières années, vous êtes fait un jeu des lectures sérieuses, en trouvant vos délices dans ce qui a coûté les plus pénibles labeurs. Entre vos mains le flambeau de l'antiquité rayonne d'un double éclat, car vous avez accumulé, dès le début de votre vie, ce que les plus âgés possèdent à peine au terme de leur carrière. Il est donc vrai que vous attachez quelque prix à mon verbiage épistolaire, puisque vous m'exprimez le désir de vous entretenir avec moi. Grâces soient rendues à Dieu, qui, par de secrètes voies, vous a touché de l'affection profonde que vous porte l'un de vos proches parents.

neque symbolum christianum, ut catechumenis ac neophytis tradebatur didicisse. Contraria sententia tenenda est, si de Boetii cum Rusticiana Symmachi filia connubio quantulacumque reddenda ratio est. De quo in sequentibus narrabitur.

CAPUT SECUNDUM.

BOETII CUM RUSTICIANA CONJUGIUM.

Inter eos qui de Boetii vita narraverunt non desunt[1] qui ad secundas nuptias, priore defuncta uxore, ipsum convolasse asserunt: Juxta ipsos, hæc prior Boetii uxor non alia foret ac Elpis quædam, Festi senatoris filia, et ut ipsamet testatur in suo epigraphio[2] « Siculæ regionis alumna. » Præclaris ingenii dotibus ornatam, forma, fortunaque insignem, versus etiam emendatissimos hymnosque sacros[3]

---

[1] Inter quos Vallinus, P. Cally, cf. Migne, t. LXIII, col. 558 ; Darras, t. XIV, p. 264.

[2] Ex Peiper, p. 36.

Helpis dicta fui, siculæ regionis alumna
  Quam procul a patria conjugis egit amor.
Quo sine mœsta dies, non anxia, flebilis hora;
  Nec solum una caro, spiritus unus erat.
Lux mea non clausa est tali remanente marito;
  Majorique animæ parte superstes ero.
Porticibus sacris jam non peregrina quiesco,
  Judicis æterni testificata thronum.

[3] Prorsus absonum est editorem Migne Helpidi attribuisse Hymnum *reformatum* prout in recentioribus Breviarii romani editionibus legitur. Ita sonant Helpidis versus ad diem festum S. Petri :

Aurea luce, et decore roseo,
Lux lucis, omne perfudisti sæculum ,
. . . .
O felix Roma, quæ sanctorum principum
Es purpurata pretioso sanguine.

composuisse Elpida, at maturius e vita decessisse, ac Papiæ sepultam dicunt, dum per Italiam, ineunte matrimonio, cum Boetio conjuge iter faceret. His præcipue rationibus suam narrationem confirmant : 1° Antiqui hymni in honorem sanctorum Petri et Pauli Romæ decantati, et in liturgicis libris asservati huic Elpidi seu Elpidiæ, Boetii uxori, adscribuntur ; 2° Bernensis codex sæculi XI, *Legenda aurea*, a Jacobo de Voragine, Elpidis epitaphium referunt ; 3° Alludit Boetius ad prius connubium, dum de socerorum splendore[1] verba facit. In alio autem loco[2] de Symmacho socero diserte loquitur ; duo ergo admittendi forent soceri. Ast opponunt alii Elpida seu Elpidiam cujus hymni in breviario romano inscripti recitantur hodiedum usque, non satis ut Anicii Severini Boetii uxorem designari. Addunt, cum Judicis de Mirandol[3] vocem « socerorum » patrem et matrem unius conjugis significare posse, ipso Virgilio teste. Confirmant suum dubium e Boetii silentio de isto priore matrimonio, de quo ne ullum quidem verbum in suis de Philosophia ac Theologia libris invenire est. De sepultura autem Elpidis in urbe papiensi, juxta Peiperum et alios bene multos, non adsunt argumenta quæ fidem faciant.

Non laude tua, sed ipsorum meritis
Excellis omnem mundi pulchritudinem.

Hæc ad diem S. Pauli :

Doctor egregie Paule, mores instrue,
Et mente polum nos transferre satage ;
Donec perfectum largiatur plenius,
Evacuato quod ex parte gerimus, etc.
(Breviar. rom. die junii 29ª.)

[1] « Quis non te felicissimum cum tanto splendore socerorum... » (*Consol.*, lib. II, p. 3.)

[2] « Pretiosissimum generis humani decus, Symmachus socer. » (*Consol.*, lib. II, p. 4 ; cf. *ibid.*, lib. I, prosa 4.)

[3] *La Consolation philosophique*, p. 348.

Doctissimus Bosisius qui tam diserte de Boetio martyre in papiensi ecclesia sepulto disserit[1] ne alludit quidem ad Elpida, quinimo Capsonius[2], papiensis bibliothecæ præfectus, testatur se neque sepulcrum, neque lapidem ullum neque membranam invenisse in urbe Papiensi, quod saltem minimum Elpidis, Boetii uxoris, vestigium referret. Rem itaque in medio relinquentes, assertum D. Judicis de Mirandol[3] perfracte denegamus, scilicet « ex hoc priori Boetii matrimonio, si liquido constaret, *maxime* confirmari christianam Boetii professionem, et e contra *eo fundamento convulso, totam ruere de Boetio christiano fabulam.* » Ne temere ac maturius exultet D. Judicis, nam si granum unum demas, non ideo totus ruit acervus.

Quidquid ergo circa Elpida asseratur, manet vera ac certa sententia Symmachum patricium filiam suam Rusticianam Boetio in uxorem tradidisse[4]. Quod christiana fuerit et christianis moribus imbuta Rusticiana nullus inficias ibit. Omne dubium tollunt quæ de sorore ejus Galla scripserunt Fulgentius de Ruspe ac sanctus Gregorius Magnus.

Ita enim in Dialogis narrat Gregorius Magnus : « Galla,
» hujus urbis nobilissima puella, Symmachi, consulis ac
» patricii filia, intra adolescentiæ tempora marito tradita,

---

[1] *Memoria intorno al luogo del supplizio di Severino Boezio, con un appendice intorno alla di lui santita*, Pavia, 1855.

[2] *Memorie Pavesi*, lib. III, p. 116.

[3] « Si elle (Elpis) avait été la femme de Boèce, il en résulterait une forte présomption en faveur du christianisme de notre auteur. C'est là en effet un des arguments le plus souvent produit (!!!) par les partisans d'une opinion qui n'est pas la nôtre. » (*Introd.*, p. 12.)

[4] Ὄυτωτέ περιῆν... καὶ οὐχ ἥκιστα Ρουστικιανῇ τῇ Βοετίου μὲν γαμετῇ γενομένῃ, παιδὶ δὲ Συμμάχου, καὶ τὴν οὐσίαν ἄει τοῖς δεομένοις προτεινόμενη. (Procop., *de Bello gothic.*, lib. III, c. xx.)

» in unius anni spatio ejus est morte viduata. Quæ dum
» fervente mundi copia, ad iterandum thalamum et opes
» et ætas vocarent, elegit magis spiritualibus nuptiis copu-
» lari, in quibus a luctu incipitur, sed ad gaudia æterna
» pervenitur quam carnalibus nuptiis subjici, quæ a læti-
» tia semper incipiunt, et ad finem cum luctu tendunt[1]. »

Ad illam in laudabili servandæ viduitatis proposito confirmandam sanctus Fulgentius, episcopus de Ruspe in Africa, qui tum, sæviente persecutione Vandalica, in Sardiniam exsulabat, multum adlaboravit. Testis est in primis illa percelebris Epistola *consolatoria* ad Gallam a sancto Fulgentio directa, quæ ex intimis doctrinæ christianæ penetralibus gravissima ac suavissima pro sancta viduitate momenta continet, quamque his fere verbis concludit sanctissimus Præsul :

« Disponimus enim ad sororem tuam, sanctam Christi
» virginem Probam, quam Dominus hoc tempore præci-
» puum in urbe Roma dare dignatus est virginitatis et
» humilitatis exemplar, de jejunio et oratione aliquid scri-
» bere[2]. » Quod quidem propositum diligenter implevit Fulgentius, ut testatur alia epistola de virginitate atque humilitate ad Probam virginem. Quænam autem fuerit ista Proba quam vocat Fulgentius *sororem* Gallæ ? Nulla alia nisi Anicii Probi consulis, anno 513, Gallæ mariti soror, non autem soror germana. Luculenter enim discernit Fulgentius inter utriusque feminæ ortum ac parentelam. Ad Probam enim verba dirigit apprime cum Aniciorum fortuna

---

[1] S. Greg. Magn., *Dialog.*, lib. IV, c. XIII.
[2] *Ad Gallam* vid. Migne, t. LXV, col. 311-313. — *Ibid.*, col. 324-339.

et laude consonantia : « quæ cum sis avis, atavisque nata » consulibus, et deliciis regalibus enutrita.. .[1] « De Galla autem Symmachi patricii filia dicit : « Et licet avo, patre, » socero consulibus, pridem fueris inter sæculares illus- » tris.... »

Ex hac Boetii propinquitate cum Anicio Probo, cum ejus vidua sancta Galla, cum ejus sorore sacra virgine Proba, plane sequitur ipsum christianum fuisse, nam tunc temporis, tam in foro civili quam in foro Ecclesiæ, jam vetabantur, uti diximus, paganos inter et christianos connubia. De cætero uxoris suæ Rusticianæ laudem et insignes virtutes celebrat Boetius, dum de domestica sua vita ita disserit[2]: « Præterea penetral innocens domûs, honestissi- » morum cœtus amicorum, socer etiam sanctus et æque » actu ipso reverendus ab omni nos hujus criminis (male- » ficii) suspicione defendunt. » Et alio loco[3] : « Vivit uxor » ingenio modesta, pudicitia, pudore, præcellens, et, ut » omnes ejus dotes breviter includam, patri similis. » Hunc patrem, Symmachum scilicet, « pretiosissimum hu-

---

[1] Exstat Ennodii epistola ad hunc Probum (*Epist.*, lib. VIII, ep. XXVII), quam his verbis concludit Episcopus Ticinensis : « Proinde vale per gratiam Dei, et » studium meum approbans amantem tui amplifica muniis litterarum. » Exstat etiam inter monumenta christiana hujus Probi sequens epitaphium quo plane liquet ipsum fuisse christianum (Migne, t. LXIII, col. 128).

Spes generis clari, magnorum gloria patrum ,
Sollers ingenio, carmine doctiloquus.
Inlustris, sapiens, humilis, moderatus, honestus,
Communis, gratus, plus bonitate pius.
Ante annos animumque gerens ætatis avitæ
Clarior in patria nobilitate Probus.
Nil tibi mors nocuit : cum hac vivis laude perenni,
Et Christi in regno dum sine fine manes.
Hæc tibi quæ cecini, non sunt præconia falsa :
Pro meritis fama est testis ubique tua.

[2] *Consol.*, lib. I, pr. 4.

[3] *Consol.*, lib. II, pr. 4.

» mani generis decus, » « virum totum ex sapientia virtu- » tibusque factum [1], » « sanctum ac reverendum [2] » adpellat, quæ verba vix alium ac christianum virum decent. Duos ex Rusticiana filios suscepit Boetius, alterum Symmachum ex avito nomine, alterum ex paterno Boetium dictum, qui ambo « liberi consulares fuerunt [3], et jam in puerili ætate aviti ac paterni ingenii specimen retulerunt [4], » amboque consulatum gesserunt, anno 522.

CAPUT TERTIUM.

DE BOETII SCIENTIARUM AC LITTERARUM STUDIIS.

Sat ex Cassiodoro [5] compertum est Symmachum fuisse in ædificiis extruendis peritissimum et « Romam in suburbanis traxisse » sive ergo apud socerum, sive in propriis ædibus habitaverit Boetius, certum est ipsum omni fortunatæ vitæ splendore et eleganti cultu vitam degisse, tum liberalitate in pauperes, ac benevolentia in miseros quosque, teste Procopio [6], emicuisse; scientiarum et artium instrumenta, librorum etiam atque codicum copiam apud se collegisse, et in bibliotheca [7] quæ « ebore ac vitro comptis

---

[1] *Consol.*, lib. II, pr. 4.
[2] *Consol.*, lib. I, pr. 4.
[3] « Quid dicam liberos consulares quorum jam ut in id ætatis pueris, vel paterni, vel aviti specimen elucet ingenii ? » (*Consol.*, lib. II, pr. 4).
[4] « Duos pariter consules liberos tuos domo provehi, sub frequentia Patrum, sub plebis alacritate vidisti » (*Consol.*, lib. II, pr. 3).
[5] Cassiod., *Var.*, lib. IV, ep. LI.
[6] *De Bell. Goth.*, lib. I, c. I.
[7] *Consol.*, lib. I, p. 5.

parietibus » exornata erat, asservasse. Hujus loci, Musis dedicati, memoriam facit Boetius, cum in custodia positus, Philosophiæ alloquenti respondet : « Hæccine est biblio-
» theca, quam certissimam tibi sedem nostris in Laribus
» ipsa delegeras? In qua mecum sæpe residens de huma-
» narum divinarumque rerum scientia disserebas? Talis
» habitus, talisque vultus erat, cum tecum naturæ secreta
» rimarer, cum mihi siderum vias radio describeres, cum
» mores nostros, totiusque vitæ rationem ad cœlestis or-
» dinis exempla formares [1]. »

Igitur florente juventa et « multiformibus Fortuna fucis blandiente » vixit Boetius integer vitæ scelerisque purus, maximo philosophiæ studio detentus. Mathematicas disciplinas, arithmeticam, musicam, astronomiamque celeri penna pervolavit, ac philosophicis totus disciplinis incubuit. In mathemathicis priora Græcorum inventa ad Latinorum usum convertit, vel dilucidiori ordine disposuit. Ejus arithmetica in duos partita libros, a Nicomachi opere partim desumpta, sed in commodiorem usum emendata est [2]. His methodum suam describit Boetius [3] :

« Ea quæ de numeris a Nicomacho diffusius disputata
» sunt, moderata brevitate collegi. Et quæ transcursa velo-
» cius angustiorem intelligentiæ præstabant aditum, medio-
» cri adjectione reseravi, ut aliquando ad evidentiam rerum
» nostris etiam formulis ac descriptionibus uteremur. »

Doctrinam de numeris ad unitatem in Deo et personarum Trinitatem explanandam adhibet Boetius, in libro de

---

[1] *Consol.*, lib. I, p. 4.
[2] *De Arithm. Præf.*, Migne, t. LXIII, col. 1080.
[3] *Ibid.*, c. VII, col. 1085.

S. Trinitate qui vere genuinus postea demonstrabitur, cum dicit : « Qua ostenditur non omnem unitatum repetitionem, numerum pluralitatemque perficere... subintrat numerus, quem ex subjectorum diversitate confici superius explanatum est[1]. » Hæc tam accurate dicta virum numerorum ac theologiæ christianæ peritissimum sapiunt.

Quinque libros *de Musica* scripsit Boetius Pythagoreorum vestigiis insistens necnon et Philolai crotoniatis. Cum Platone maxime cavendum existimat[2] « ne de bene morata musica aliquid permutetur. » Ejus in musica adinventa ad Gregorianum cantum moderandum multum sancto Gregorio Magno inservisse censet scriptor italicus Quadrio[3].

Ex duobus *de Geometria* libris, alter est mera Euclidis translatio, alter de Geometriæ utilitate et usu disquisitio; quod opus imperfectum remansit.

Ciceronis Topica[4] in septem libris commentatus est Boetius, ex quibus sexti conclusio ac septimus totus temporum injuria perierunt.

Sed longe major pars operum Boetii ad philosophiam pertinet. Alia sunt meræ Porphyrii et Aristotelis translationes, alia propria Boetii inventa. In Aristotele interpretando fideliter magis quam eleganter procedit Boetius, omnium minime usus hoc suavi atque ornato dicendi genere, quod præ se fert liber *de Consolatione*. Hoc meminisse velint qui tam audacter contendunt ex diverso genere dicendi operum

---

[1] *De Trinit.*, c. III, V et VI ; Cf. D. Thomas in lib. Boetii de Trinit., qu. 1, a. 4, ad 2.

[2] *De Musica*, lib. I, c. 1.

[3] *Storia d'ogni poesia*, vol. II, p. 107.

[4] *Boetii Comment. in Cicer. Topica* edidit Robert. Stephanus, Paris, 1540 ;— Cicer. opera omnia. Orelli, Turici Helvetiorum.

theologicorum ac philosophicorum illos nullo modo Boetio adscribi posse. Ipse suam interpretandi methodum sic explicat Boetius :

« Vereor ne subierim fidei-interpretis culpam, cum » verbum verbo expressum comparatumque reddiderim. » Cujus incœpti ratio est quod in his scriptis in quibus » rerum cognitio quæritur, non luculentæ orationis lepos, » sed incorrupta veritas exprimenda est. Quocirca multum » profecisse videbor, si philosophiæ libris, Latina oratione » compositis, per integerrimæ translationis sinceritatem, » nihil in Græcorum litteris amplius desideratur [1]. »

Non Aristotelem solum sed Platonem etiam ardenter complexus est Boetius. In libro *de Consolatione,* Platonis *Phedo, Gorgias, Timæus,* ac *liber de Republica* haud semel afferuntur. Quædam e schola neoplatonica etiam retinuit, quæ hodie inter sententias erroneas ac christiano viro illicitas deputantur, quæ autem, Boetii tempore, nondum ab Ecclesiæ catholicæ censura notata erant. Boetio statum fixumque fuit consilium ad normam fidei christianæ philosophandi ut satis apparet ex ejus modestia et humilibus ad Deum precibus [2].

Aristotelis Platonisque concordiam ostendere in animo habuit [3]. Hunc scopum fuisse Libri de Consolatione admo-

---

[1] *Comment. in Porphyr.*, lib. I, Migne, t. LXIV, col. 71.

[2] « Humiles preces in excelsa porrigite, — nec frustra sunt in Deo positæ spes » precesque, quæ cum rectæ sunt, inefficaces esse non possunt » (*Consol.*, lib. V, pr. 6). — « Invocandum, inquam, rerum omnium patrem, quo prætermisso, » nullum rite fundatur exordium » (*Consol.*, lib. III, pr. 3).

[3] « His peractis (Interpretationibus) non contempserim Aristotelis Platonisque » sententias in unam quodammodo revocare concordiam, et in his eos non, ut » plerique, dissentire in omnibus, sed in plerisque quæ sunt in Philosophia » maxima, consentire demonstrem. Hæc si vita otiumque supererit, cum multa

dum verisimile est; quod propositum forsan interceptum fuit, ac immutatum, tum necessitate purgandi criminis apud posteros, tum studio firmissimæ in divinam Providentiam fidei profitendæ, etiam luctuosissimo imminente fato [1].

Circa quæstionem viæ ac methodi veritatis indagandæ multum versatus est Boetius [2], ac non solum de purganda philosophia græca Pythagoræ, Platonis et Aristotelis ab erroribus ethnicorum, Judæorum et Alexandrinorum, ex *domesticis*, ut ipse ait, probationibus [3] excogitavit, verum etiam *fidei christianæ idonea argumentorum adjumenta præstare* [4], *fidem rationemque conjungere* [5] in animo habuit. Ideo tantum pondus in addiscenda dialectica reponit [6], ac

» operis hujus utilitate, necnon etiam laude, contenderim, qua in re faveant » oportet quos nulla coquit invidia » (*Lib. de Interp.*, edit. secund., lib. II, Migne, t. LXIV, col. 433).

[1] « At vero hic etiam nostris malis cumulus accedit, quod existimatio plurimorum, non rerum merita, sed fortunæ spectat eventum, eaque tantum judicat esse provisa quæ felicitas commendaverit » (*Consol.*, lib. I, pr. 4).

[2] Persæpe occurrit in scriptis Boetii anxia de methodo investiganda sollicitudo : « Aristoteles... veri propinqua ratione definiens .. factus est *pons introductionis.* » — « Egomet aliquem quodammodo *pontem* ponere » — « introductionis temepramentum facere » — « quadam quasi intelligentiæ luctatione præludere » — « quemdam quasi *ordinem filumque* disponendo disciplinarum gradus tradere » constitui ut *viæ* ex filo quodam procedat ratio. » — « Sunt enim quidam *gradus*, » certæque progressionum dimensiones, quibus ascendi progredique possit, » — « *gradus in scalarum modo* dispositi, quibus ab inferiore ad superius elementum » sit ascensus. »

[3] *Consol.*, lib. III, pr. 12, Migne, t. LXIII, col. 781.

[4] *Lib. de Trinitate*, c. VI.

[5] *Utrum Pater*, ad Johannem diaconum : « Diligentius intuere quæ dicta » sunt, et fidem si poteris rationemque conjunge. »

[6] Hoc Boetii consilium luce clarius elucet in Prologo Libri Alcuini *de fide Sanctæ et individuæ Trinitatis*, ad Imperatorem Carolum : Hunc librum non scripsi, ait Alcuinus, quasi tibi, Imperator, fides christiana incognita esset, sed... « ut convincerem eos (sacerdotes Dei ac populi prædicatores) qui minus utile » esse existimabant vestram nobilissimam intentionem dialecticæ disciplinæ, dis» cere velle *rationes quas Pater Augustinus in libris de Sancta Trinitate* » apprime *necessarias esse putavit, dum profundissimas de Sancta Trinitate* » *quæstiones nonnisi categoriarum subtilitate solvi posse probavit.* »

difficillimas e sacra Theologia quæstiones, ope dialecticæ, feliciter solvit. Numero quinque supersunt ejus opuscula theologica, quæ genuina prœsupponimus, e quibus eminent præsertim *Liber de sancta Trinitate*, ad Symmachum socerum, et *Liber contra Eutychen et Nestorium* ad Johannem diaconum. De his fuse lateque posthac disputabitur.

Vere christianus philosophus fuit Boetius; philosophiam adamavit ut « præviam luminis veri [1] », fidei christianæ scilicet, ut summum totius vitæ solamen.

His verbis de suo philosophiæ studio cum Symmacho disserit : « Cum in omnibus philosophiæ disciplinis ediscendis » atque tractandis summum vitæ positum solamen existimem, tum jocundius ac veluti cum quodam fructu etiam » laboris accipio quæ tecum communicanda compono. Nam » etsi ipsa speculatio veritatis sua quadam specie sectanda » est, fit tamen amabilior cum in commune deducitur...fit- » que jucundior disciplina cum inter ejusdem sapientiæ » conscios jubet esse sapientem... Quod igitur apud scrip- » tores quidem Græcos per quam rarissimos, strictim » atque confuse, apud Latinos vero nullos reperi, id tuæ » scientiæ dedicatum, noster etsi diuturnus, cœpti tamen » efficax labor excoluit [2]. » Quam hæc bene consonent cum verbis ad eumdem Symmachum in Libro *de S. Trinitate* nemo non videt : « Investigatam diutissime quæstionem » formatam rationibus, litterisque mandatam, afferendam » vobis communicandamque curavi, tam vestri cupidus ju- » dicii, quam nostri studiosus inventi. » Et ad calcem :

---

[1] *Consol.*, lib. IV, pr. 1.
[2] *De Syll. hyp.*, lib. I, Migne, LXIV, col. 831.

« Quæ utrum recte decursa sit (quæstio) an minime, vestræ statuet pronuntiationis auctoritas. » Itaque Symmacho socero, christiano viro, doctissimo, sua in philosophia inventa examinanda et corrigenda tradit Boetius. Hoc tam sapienti consilio vir ac philosophus christianus cuilibet agnoscitur [1].

Ergo non emphatice sed vere de Boetio scripsit Cassio-

---

[1] Hoc loco describere præstat elenchum omnium quæ Boetii supersunt operum, juxta Schündelen, Bæhr, Migne et alios :

I. — De Unitate et Uno, Migne, t. LXIII, col. 1075.
II. — De Arithmetica, lib. II, Migne, *ibid.*, col. 1079.
III. — De Musica, lib. V, Migne, *ibid.*, col. 1177.
IV. — In Porphyrii Isagogen de Prædic. a Victorino translatum, Dialogi duo, Migne, t. LXIV, col. 9.
V. — Commentariorum in Porphyrium a se translat., lib. V, Migne, *ibid.*, col. 71.
VI. — In Aristotelis Categorias Commentariorum, lib. V, Migne, *ibid.*, col. 159.
VII. — In Aristotelis Librum de Interpretatione, libri II, seu minora commentaria, Migne, *ibid.*, col. 293.
VIII. — In Aristotelis Librum de Interpretatione, libri VI, seu majora commentaria, Migne, t. LXIV, col. 393. — Quod egregium opus declarat Boetius se per duos annos integros assiduo labore exarasse.
IX. — Analyticorum priorum Aristotelis, lib. II, Migne, *ibid.*, col. 639.
X. — Analyticorum posteriorum Aristotelis, lib. II, Migne, *ibid.*, col. 711.
XI. — Topica Aristotelis, lib. VIII, Migne, *ibid.*, col. 909.
XII. — Elenchorum Sophisticorum, lib. II, Migne, *ibid.*, col. 1007.—Quæ quatuor posteriora opera sunt meræ translationes e græco in latinum.
XIII. — In Topica Ciceronis commentar., lib. VI, Migne, *ibid.*, col. 1039.
XIV. — De Differentiis Topicis, lib. IV, Migne, *ibid.*, col. 1173.
XV. — Introductio ad syllogismos categoricos, Migne, *ibid.*, col. 761. — De syllogismo categorico, lib. II, *ibid.*, col. 793. — De syllogismo hypothetico, lib. II, ad Symmachum, *ibid.*, col. 831. — De divisione ac definitione, opuscula, *ibid.*, col. 875 et 891.
XVI. — Opuscula theologica : I. *Quomodo substantiæ* in eo quod sunt bonæ sint, cum non sunt substantialia bona (Hebdomades), ad Johannem diacon. Eccles. Rom., Migne, t. LXIV, col. 1311. — II. *Liber de Persona et duabus naturis,* contra Eutychen et Nestorium, ad Johannem diacon. Eccl. Rom., *ibid.*, col. 1337. — III. *Utrum Pater* et Filius ac Spiritus sanctus de divinitate substantialiter prædicentur ad Joannem diaconum Eccl. rom., *ibid.*, col. 1299. — IV. *De Trinitate*, ad Quintum Aurelium Symmachum socerum, *ibid.*, col. 1247. — V. *Brevis fidei complexio, ibid.*, col. 1333 ; apud Peiper, *de Fide catholica*, p. 175.
XVII. — *De Consolatione philosophiæ*, lib. V, Migne, t. LXIII, col. 579.

dorus [1] : « Hac te multa eruditione saginatum, ita nosse
» didicimus, ut artes quas exercent vulgariter nescientes,
» in ipso disciplinarum fonte potaveris.... Translationibus
» tuis Pythagoras musicus, Ptolemæus astronomus, legun-
» tur Italis; Nicomachus arithmeticus, geometricus Euclides
» audiuntur Ausoniis; Plato theologus, Aristoteles logicus
» quirinali voce disceptant.... mechanicum etiam Archime-
» dem latialem Siculis reddidisti, et quascumque disci-
» plinas vel artes fœcunda Græcia per singulos viros edidit,
» te uno auctore, patrio sermone Roma suscepit. »

Commendant autem philosophica Boetii opera Cassiodorus [2] necnon sanctus Isidorus Hispalensis.

CAPUT QUARTUM.

BOETIUS PATRICIUS ELIGITUR.

Cum tanta tamque varia ingenii documenta præberet Boetius, jam ab ineunte adolescentia, ad patritiam dignitatem evectus est, et in numerum Patrum receptus. Si ad

---

[1] *Var.*, lib. I, ep. XLV.

[2] « *Isagogen* transtulit Patricius Boetius, commenta ejus gemina derelinquens. *Categorias* idem transtulit Patricius Boetius, cujus commenta tribus libris ipse quoque formavit. *Perihermenias* supra memoratus Patricius in latinum transtulit : cujus commenta ipse duplicia minutissima disputatione tractavit. » (Cassiod., *de Dialectica*, p. 583, t. II, Rotomagi, 1679.) — Commendat autem Cassiodorus Boetii Arithmeticam dum dicit : « Deinde magnificus vir Boetius latino sermone translatum (Apulejum) Romanis contulit lectitandum. » (*Ibidem*, p. 586.) — Cum autem Boetium musicum tantopere exaltaverit in epistolis, nullam in *Institutione* de eo mentionem facit, sed commendat Albinum, Gaudentium, Apulejum, ac S. Augustinum (*Ibid.*, p. 588). Annon forsan ex livore ? — Isidorus Hispalensis de Boetio, juxta Cassiodorum, loquitur : « Isagogen ex græco in latinum transtulit Victorinus orator, commentumque ejus quinque libris Boetius edidit. » (*Origin.*, lib. II, cap. XXV.) — « Numeri disciplinam.... apud latinos primus Apulejus, deinde Boetius transtulit. » (*Ibid.*, lib. III, c. II.)

Cassiodori epistolas [1], et ad Ennodii Paræncsin didascalicam [2] attenditur, referenda est Boetii in senatum admissio ad annum 496. Hic conventus quem tunc temporis nuncupat Theodoricus rex [3] « gremium libertatis », « venerandum cœtum, » « sacrum ordinem », tribus potissimum distractus erat partibus. Una pars, ad quam accensebantur Anicii, veteris Romæ laudis et antiquæ libertatis memor, Gothorum dominationem arianam, ut in catholicos pacificam, tuebantur, licet tamen ab orientali Romanorum imperio oculos non averterent, nec spes italicæ libertatis recuperandæ penitus abjicerent. Ideo præsentes orientalem inter et romanam Ecclesiam discordias, ab Anastasio imperatore eutychiano concitatas, sedare et extinguere adlaborabant. Hujus partis princeps erat Festus Niger; cui adhærebant Symmachus, Boetius, Probinus, et inter clericos forsan Gelasius [4] papa, Joannes Ecclesiæ romanæ diaconus, et ille etiam Cœlius Laurentius, qui et schismatis auctor fuit. Alii inter senatores partes Gothorum sequebantur eorumque in Italiam adventitium principatum stabilem ac perpetuo duraturum sperabant. Hi autem erant vel Gothi vel peregrini perplurimi quos Theodoricus ad patriciam dignitatem provexerat, ut eos ardentioribus « libertatis romanæ » asseclis quasi opponeret [5] alii demum e patricio genere orti,

---

[1] *Var.*, lib. II, ep. LX et LXI.

[2] « Est Boetius patricius in quo vix discendi annos respicis (22), et intelligis pueritiam sufficere jam docendi : de quo emendatorum judicavit electis. » (Migne, t. LXIII, col. 254.)

[3] Cassiod., *Var.*, lib. I, ep. XLI ; lib. III, ep. VI. — « Præterea sumptas in adolescentia negatas senibus dignitates. » (*Consol.*, lib. II, pr. 3.)

[4] Ad Anastasium imperatorem scribebat Gelasius papa : « Te, sicut Romanus natus, Romanorum principem amo, colo, suscipio. » (*Epist.* VIII, ap. Labbe.)

[5] « Delectat peregrini germinis viros gremio libertatis inserere ; ut variis frondescat senatus aula virtutibus. » (Cassiod., *Var.*, lib. III, ep. VI.)

quamcumque partem sive politicam, sive religiosam perosi, nullius laudis cupidi, a scientiis et artibus prorsus alieni, doctissimum quemque diminuentes vel obscurantes, « ignava segnitie » et « callido livore » aliis tantum præcellebant [1].

Quo tempore autem in senatum admissus fuit Boetius, jam nullus huic conventui interfuisse videtur ethnicus. « Ecce jam in illo sacrario libertatis nihil servile de idolorum cultibus invenitur, » ait Ennodius [2]. Notum erat Theodorici edictum sub pœna capitali paganos ritus et sacrificia prohibens [3]. Perperam itaque argumentum sumit pro paganitate senatûs Judicis de Mirandol [4] ex petitione quorumdam Patrum pro restauratione Lupercalium et ex Gelasii papæ ad Andromachum senatorem responsione [5]. Nam illud tantum ex hac vehementi summi Pontificis objurgatione sequitur : 1° Non quidem nobiles viros sed « vilem, vulgaremque plebem » Lupercalia celebrare ; 2° hos ludos a christianis contra quos excommunicationis

---

[1] « Unde mihi maxime subiit admirandum, quænam hæc indoctorum hominum audacia, qui inscientiæ vitium præsumptionis atque impudentiæ nube conentur obducere, eum non modo sæpe id quod proponatur ignorent, verum in ejusmodi contentionibus ne id quidem quod ipsi loquantur intelligant. » (*Contra Eutychen et Nestor. Proœm.*) — Cf. *De Trinit. Proœm.* : « Quocumque igitur a vobis (a Symmacho) dejeci oculos, partim ignava segnities, partim callidus livor occurrit. »

[2] *Lib. apolog. pro synod.*, Migne, t. LXIII, col. 206.

[3] « Si quis pagano ritu sacrificare fuerit deprehensus... sub justa æstimatione capite puniatur. » (*Edictum Theod.*, n° 108, juxta Muratori ab anno 500.)

[4] « Où est la preuve qu'il (Boèce) ait été chrétien ? On en donne plusieurs. La » première, c'est qu'à la fin du ve siècle le paganisme avait depuis longtemps » disparu de l'Italie. Mais cette assertion est contredite, et nous avons encore le » traité dans lequel le pape Gélase I s'oppose au rétablissement des Lupercales.» (*Introd.*, p. 15.) En modo contra Boetium christianum firmissimum argumentum !

[5] Baronius, ad ann. 496.

pœnam decernebat Pontifex, frequentari; 3° « has vanitates » nunc esse « superfluas « ac posse removeri; 4° a senatu revera sublata fuisse Lupercalia, atque etiam « minoris superstitionis spectacula[1]; » 5° senatorem Andromachum, qui in Patrum conventu verba fecerat pro Lupercalium restauratione christianum fuisse ex S. Gelasii responsione. Jam vero si ethnicus fuisset Boetius, quis dubitet quin hac data occasione sui cultûs defendendi officium alacriter susceperit? Sed ad alia properemus.

Boetii nomine famaque permotus Theodoricus rex, ejus integritate et solertia fretus ipsi monetæ curam demandavit[2]. Mox rogatus Theodoricus a Burgundium rege Gundobaldo de horologio aquatili et solari ad ipsum transmittendo, Boetium utpote mechanicæ artis ac mathesis peritissimum ad hæc opera perficienda invitavit, illa celebri epistola, Cassiodori manu conscripta, in qua varia Boetii in scientiis et artibus jam antea quæsita merita recensentur, et mechanicarum artium miracula celebrantur. Tum his verbis concludit : « Hæc quia studiosius te legisse » cognovimus, prædicta nobis horologia quantocius trans- » mittere maturabis ; ut te notum in illa parte mundi facias » ubi aliter pervenire non poteras. Agnoscant per te exteræ » gentes tales nos habere nobiles, quales leguntur auc- » tores. Quoties non sunt credituri quod viderint? Quoties » hanc veritatem lusoria somnia putabunt? Et quando » fuerint a stupore conversi, non audebunt se æquales

[1] Baronius, *loc. cit.*

[2] « Quapropter prudentia vestra lectionibus erudita dogmaticis scelestam falsitatem a consortio veritatis ejiciat, ne cui sit appetibile aliquid de illa integritate subducere. » (Cassiod., *Var.*, lib. I, ep. X.)

» nobis dicere, apud quos sciunt sapientes talia cogitasse[1]. » Cum autem arte factum Boetii opus ad Gundobaldum transmittit Theodoricus, alia epistola donum comitatur, quæ sequentia continet : « Discat sub vobis Burgundia res sub- » tilissimas inspicere, et antiquorum inventa laudare : *per* » *quos propositum gentile deponit*, et dum prudentiam regis » sui respicit, jure facta sapientium concupiscit. Dis- » tinguat spatia diei actibus suis, horarum aptissime mo- » menta constituat[2]. » Fam si ethnicus fuisset Boetius, suæ artis miraculorum ope, Burgundiæ ex paganitate ad christianam fidem convertendæ, juxta Theodorici mentem, etiam ipse auctor fuisset. Quod quidem inconveniens et incredibile videtur.

Exstat et alia Theodorici epistola ad Boetium, quam paulo ante Clodovæi Francorum regis in Alemanos victoriam (496) conscriptam esse censet Baronius. Nuntiat Theodoricus Francorum regem enixis precibus citharœdum expetiisse, ac rogat Boetium, musicæ peritum, hunc hominem eligere et ad Francos transmittere. Permulta de musicæ laude, tonis, modis, numeris in sua epistola rex disserit. Quædam autem allata sunt quæ ad Boetium ethnicum dicta absona prorsus, imo et insolentia forent : « Mise- » ratio divina localiter sparsit gratiam, dum omnia sua » valde fecit esse laudanda... Loquamur de illo Psalterio e » cœlo lapso, quod vir toto orbe cantabilis, ita modulatum » pro animæ sospitate composuit ut his hymnis et mentis » vulnera sanarentur et divinitatis singularis gratia con-

[1] Cassiod., *Var.*, lib. I, ep. XLV.
[2] *Ibid.*, ep. XLVI.

» quiratur... En quod sæculum miretur et credat : pepu-
» lit davidica lyra diabolum ; sonus spiritibus imperavit,
» et canente cithara ter rex in libertatem rediit quam in-
» ternus inimicus turpiter possidebat... Dicunt (sapientes
» ethnici) debere credi ut beatitudo cœlestis illius (har-
» moniæ cœli) oblectationibus perfruatur, quæ nec fine
» deficit, nec aliqua intermissione marcescit. In ipso
» quippe intellectu habitare referunt superna, ipsis deli-
» ciis cœlestia perfrui et talibus contemplationibus inhæ-
» rentia, beatis jugiter delectationibus contineri. Bene
» quidem arbitrati, si causam cœlestis beatitudinis non in
» sonis, sed in Creatore posuissent, ubi veraciter sine fine
» gaudium est, sine aliquo tædio manens semper æternitas
» et inspectio sola divinitatis efficit ut beatius nihil esse
» possit... Sed quoniam nobis facta est voluptuosa digres-
» sio (quia semper gratum est de doctrina colloqui cum
» peritis) citharœdum quem a nobis diximus postulatum,
» sapientia vestra eligat præsenti tempore meliorem [1]. »
Jam vero firmissimum ex his verbis contra Boetii paganitatem, ac pro ejus christiana fide eruitur argumentum.

Annon insulsa prorsus atque ethnico viro per contumeliam dicta forent ista Theodorici verba *de lyra davidica, quæ pepulit diabolum*, de sono *qui spiritibus imperavit, de inimico interno*, qui Saulis animam *turpiter possidebat ?* Tum de cœlesti beatitudine disserens Rex opponit ejus essentiam ab ethnicis philosophis celebratam huic quam christiana fides decernit, scilicet Creatoris contemplationem, quæ sola vera est beatitudo. Demum asserit sibi voluptuosam fuisse

[1] Cassiod., *Var.*, lib. II, ep. XL.

digressionem.... Cum occasio se dederit de *doctrina* cum viro perito colloquendi, non quidem de principiis et historia musicæ artis solum, sed de doctrina, id est de arctissimo vinculo quod inter musicam cœlestem « davidicæ lyræ » et « beatitudinis cœlestis causam intercedit. »

CAPUT QUINTUM.

DE SCHISMATE CŒLII LAURENTII ET ENNODII AD BOETIUM EPISTOLIS.

Jam inde a pluribus annis omnem operam admoverat Gelasius papa, ut pax et concordia orientalem inter et occidentalem Ecclesiam restituerentur. Minime autem res successerat, tam propter Euphemii Constantinopolitani patriarchæ ambiguam agendi rationem, quam ex Anastasii imperatoris in eutychiano errore pertinacia. Interea e vita cessit Gelasius papa, anno 496, et in ejus locum suffectus est Anastasius II, qui per duos tantum annos rexit Ecclesiam. Jam antea a rege Theodorico in Orientem missus fuerat legatus senator, Boetii patronus, Festus Niger[1]. Hic, mortuo papa, Romam rediit ac de successore Anastasii deligendo permulta callide molitus est. Fama fuit ipsum Anastasio imperatori promisisse sese Romæ omnia conaturum ut romanus Pontifex eligeretur qui Zenonis Epistolæ dictæ *Enotico,* pro eutychiano errore datæ, anno 482, subscriberet. Igitur ejusdem Festi artificiis et pecunia, factum est ut, cum in Constantiniana Basilica eligeretur Romanus pontifex Symmachus, eo ipso tempore, in Basilica

---

[1] Baronius, ad annum Christi 498.

S. Mariæ Cœlius Laurentius antipapa opponeretur, et ita schisma in ipso sinu Ecclesiæ oriretur. Laurentii fautores aderant inter Patres bene multi, nempe ii omnes qui « libertatis romanæ » memores Orientem versus Italiæ spes protendebant, inter quos Festus, Symmachus ipse, et, ut videtur, ejus gener Boetius, Probinus, Joannes diaconus, Eugypius, Paschasius etiam Ecclesiæ romanæ diaconus, vir tum veritate doctrinæ, tum morum sanctitate præstantissimus. Nullum sat firmum vestigium reperitur de loco in quo steterit Boetius, durante schismate. Vix dubitandum quin Laurentii partes secutus sit cum Symmacho socero usque ad annum 503, quo, Synodo romana quinta definiente, causa cecidit Laurentius, ac schima exstinctum fuit. Jam ab anno 502 stabant pro Symmacho Pontifice Italorum episcoporum eminentissimi, ut Laurentius Mediolanensis, Petrus Ravennatensis, Eulalius Syracusanus, Ennodius Ticinensis, Faustus Avienus consul et ejus collega Pompeius. Fuit autem Faustus Avienus consul, anno 501, ac dux defensorum Symmachi papæ contra Laurentianas partes. « Solus autem Faustus ex-consul pro Ecclesia pugnabat, » ait Anastasius bibliothecarius. Ad eumdem et ad Symmachum patricium scripsit episcopus Viennensis S. Avitus hanc epistolam supra memoratam : « Quasi Senator ipse romanus, quasi » christianus episcopus obtestor.... ut in conspectu vestro » non sit Ecclesiæ minor quam reipublicæ status ; quod- » que Deus vobis posse præstitit, prosit et nobis, nec » minus diligatis in Ecclesia vestra Sedem Petri, quam in » civitate apicem mundi.... [1] » Eodem fere tempore ad

[1] Migne, t. LIX, col. 249.

eumdem Faustum scribit Ennodius : « Unum scio, quia nisi » succurritis, generale futurum malum, cui ipse disciplinæ » tutor (summus pontifex scilicet) est expositus [1]. » Fausti Avieni mater erat Ennodii consanguinea, ita ut ad domum Ennodii pertinere videretur, ergo etiam de propinquitate Boetii.

Qualis fuerit tunc temporis animorum fluctuatio et inconstantia ex Ennodii in clerum epigrammate [2] et in quosdam nobiles patricios objurgatione, ut ad concordiam Ecclesiæ redeant [3], perfacile colligitur.

Permulta autem in vita Boetii subobscura ex hac sua ad Laurentianas partes accessione, explicantur. Cum enim post Romæ habitam synodum exstinctum fuisset schisma, et permulti insignes episcopi ad Symmachum papam tuendum adlaborarent, Boetius et socer ejus Symmachus ab omni oppositione partiumque studio abstinuerunt. Verum admodum probabile est Boetium, pro suo rigidiore ac forsan superbiore animo, non properanter et ardenter Symmachianæ partis viros amplexum esse, quinimo frigidiorem erga eos remansisse. Hinc plana et obvia ratio redditur cur

---

[1] Ennod., *Epist.*, lib. VII, ep. XVIII.

[2] Qui Ponti faciem, numerum qui novit arenæ ;
Fœmina quem jurans fallere nulla potest :
Astrorum plebem qui calles spectat amantum,
Cynthia cui certis cornibus innotuit ;
Non valet hic vultus retinere, et nomina, mores,
Quos mutat clerus tempus in exiguum.
(Migne, t. LXIII, col. 348.)

[3] « Generosam in tali negotio prosapiem non agnosco. Si qui sunt tamen summorum, quos vilibus tempestatis hujus procella sociavit, aliis auctoribus facinorum participatione maculantur. Splendor sanguinis, etsi communionem criminis incurrit, nescit tamen ducem se præbere peccantibus. Habet forsitan reatum de neglecta cautione, non habet dignum supplicium de scelerum principatu. » (*Lib. apol. pro synodo*, Migne, t. LXVIII, col. 206.)

in variis Ennodii ad Boetium epistolis, de *quæstione*, ut dicunt hodie, *religiosa*, prorsus sileatur. Huc etiam referendæ fere continuæ per varia Boetii scripta querelæ « de ignava segnitie, » « de callido livore, » de « talibus hominum monstris, » « de lascivia ac petulantia eorum qui nihil a joco risuque patiuntur esse disjunctum. » His involutis verbis quemnam alium nisi victricem cleri partem designat Boetius? Si autem paulo severiore judicio ita in unam cleri partem sententiam profert, ne dubitari quidem potest ipsum christianum fuisse et *domestico quodam zelo* fratres in fide reprehendisse.

Post primam Romæ synodum, et dum pax Ecclesiæ restituta videretur, Romam venit Theodoricus rex, anno 500. Exceptus est a clero et populo in loco qui dicitur *Palma aurea*. Ad ipsum verba fecit Boetius, ut præfectus urbis, tanta orationis temperantia ac subtilitate ingenii ut ipse Rex, gothi milites, romanique cives eum pergratum habuerint [1]. Tum juxta Imperatorum morem, publicis mensis exstructis, ac cibis abundanter et delicate appositis, plebs romana, Boetii sumptibus, pransit, ipsique Patres cuilibet, etiam e plebe invitato, cibos distribuerunt. Postea Rex ipse Theodoricus sermonem habuit ad populum, singulos in Urbe ordines distincte allocutus, et audientes omnes sua eloquentia, auctoritate modestiaque sibi conciliavit [2].

---

[1] Anonymus, Vales., nº 65.
[2] Baronius, ad ann. Christi 504.

CAPUT SEXTUM.

MANICHÆI ROMA PULSI. — BOETIUS CONSUL. — ENNODII AD BOETIUM EPISTOLA.

Ad annum 504 accenset Baronius[1] eventum quem narrat Cassiodorus de quinquevirali judicio lato in duos senatores de maleficio accusatos, id est de manichæismo, nam ad Manichæorum dogmata accedere censebantur quicumque aliorum odium in se concitaverant. Calumniose Symmachus papa ipse ab Anastasio imperatore, quasi manichæus esset, infamatus est. Hanc autem calumniam retorquet in Anastasium summus pontifex, dum in sua Apologia adversus Anastasium his verbis invehitur : « Dicis me esse manichæum. Numquid ego Eutychianus sum vel Eutychianos defendo, quorum furor maxime Manichæorum suffragatur errori ? Roma mihi testis est, et scrinia testimonium perhibent, utrum a fide catholica, quam in Sede Apostoli Petri *veniens ex paganitate* suscepi, aliqua ex parte deviaverim[2]. « Manichæis autem revera favebat Anastasius imperator, ut rerum scriptores[3] tradunt. Manichæorum dogmatibus autem accedere censebantur Priscillianistæ, Eutychiani, Monophy-

---

[1] « Comperimus Basilium atque prætextatum, artis sinistræ jam contagione pollutos, in accusationem tui examinis personarum intentione deductos. Super qua re nostram te asseris spectare sententiam.... præsenti auctoritate decernimus, ut quinque senatoribus, id est magnificis et patriciis viris Symmacho Decio, Volusiano, atque Cœliano, nec non illustri viro Maximiano, hanc causam legitima examinatione pensetis. » (*Var.*, lib. IV, ep. XXII.)

[2] Baronius, ad ann. 503, p. 568. Edit. Antuerp., 1658.

[3] Nicephorus et Theodorus lector, lib. II.

sitæ, et *quicumque etiam fato Aristotelico* adhærebant. Cum autem quinquevirali judicio, cui præerat Symmachus patricius, duo senatores impetiti absoluti fuissent, in custodia positi aufugerunt. Uno elapso e manibus, alter, Basilius nempe, a populo concitato deprehensus, igni traditus est. Eorum fugæ Symmachum connivisse vulgo jactabant. Repetitis vicibus Romæ contra manichæos sævitum est, sub pontificibus Symmacho et Hormisda (523). Symmachus papa eos Romæ pullulantes reformidans jussit inquiri, ab Urbe expelli et eorum libros codicesque ante fores Constantinianæ basilicæ incendio deleri. Eadem egit Hormisdas papa.

Ex his indiciis quamdam lucem desumere est ad absonam accusationem in Boetium latam illustrandam. Lata est enim contra Boetium Manichæismi insimulatio, ut videbitur infra, et judicio quinquevirali in exilium actus est. Unde autem istud crimen in Boetium inciderit, nisi ex ejus circa Aristotelis doctrinam studiis, ac forsan etiam ex ejus non penitus ignota fiducia, romanam et italicam libertatem, *Orientalium ope et armis* restituendam esse. Manichæorum dogmatibus[1] semper abhorruit Boetius et eorum errores in suo opere *de fide catholica* apprime denuntiat his verbis : « Manichæi quoque qui duo principia sibi coæterna et ad- » versa profitentur, unigenitum Dei esse non credunt. » Indignum enim judicant, si Deus habere Filium videatur, » nihil aliud cogitantes nisi carnaliter, ut quia hæc gene- » ratio duorum corporum commixtione procedit, illis

[1] Manichæorum errores jam publice condemnaverat Papa Leo magnus et pluribus sermonibus, romanæ Ecclesiæ fidelibus denunciaverat. Cf. Serm. 4, de Collect.; Serm. 4, in Quadrag.; Serm. 7, in Nativ. Domini.

» quoque indignum esset intellectum hujusmodi applicare :
» quæ res eos nec vetus facit recipere testamentum neque
» in integro novum. Nam sicut illud omnino error eorum
» non recipit ita ex Virgine generationem Filii non vult
» admittere, ne humano corpore polluta videatur Dei fuisse
» natura [1]. »

Maleficii crimen confutare dedignatus Boetius, accusantes his tantum verbis percellit : « Nec conveniebat vilissimorum
» me spirituum præsidia captare quem tu (ad Philosophiam
» verba facit) in hanc excellentiam componebas, ut consi-
» milem Deo faceres [2]. » Quæ tam magnifica verba temere calumniatus est Judicis de Mirandol [3] asserendo « hac verborum ambiguitate Boetium ethnicam confessionem declinavisse. » Sed de his hactenus. Anno Christi 510, consulatum gessit Boetius, cum Eutharico collega, licet philosophiæ et litterarum studia non intermiserit [4].

---

[1] *De fid. cath.*, Peiper, p. 176.

[2] *Consol.*, lib. I, pr. 4.

[3] Accuser Boèce de magie, c'était l'accuser non-seulement de croire au paganisme, mais de le pratiquer. L'inculpation était claire (!!!), et Boèce ne pouvait s'y méprendre, mais il lui était impossible de la réfuter victorieusement ; aussi, essaie-t-il de se tirer d'embarras *par une équivoque*. Au lieu de répondre... il prend un biais, chicane sur les mots et adjure la philosophie de déclarer s'il est possible qu'un homme qu'elle a pris à tâche de conduire vers Dieu fasse un pacte avec les esprits immondes » (*Introd.*, XXXVI). Hoc absonum accusationis caput solus tuetur Judicis de Mirandol.

[4] Fuit Boetii otium in consulatu operositate plenum, ut testatur ipse in procemio libri Categoriarum : « Et si nos curæ officii consularis impediunt quominus in his studiis omne otium plenamque operam consumamus, pertinere tamen videtur hoc ad aliquam reipublicæ curam , elucubratæ rei doctrina cives instruere. Nec male de civibus meis merear, si cum prisca hominum virtus urbium cæterarum ad hanc unam rempublicam , dominationem , imperiumque transtulerit, ego id saltem quod reliquum est, græcæ sapientiæ, artibus, mores nostræ civitatis instruxero. Quare, ne hoc quidem consulis vacat officio, cum Romani semper fuerit moris, quod ubicumque gentium pulchrum esset atque laudabile, id magis ac magis imitatione honestare. (*In Categ. Arist.*, lib. II, procem., Migne, t. LXIV, col. 201.)

Propinquo suo faustissima precatur Ennodius, novum consulem salutando, ac velut a propinquo donum cujusdam in civitate Mediolanensi domûs efflagitando :

« Optimæ spei plenus, cui faustum cupio, ad curam » officii epistolaris adspiro. Decet enim vestris fascibus » hac præfatione delibari ; et inter purpuras, possessoris » luce crescentes, qualicumque non abstinere colloquio... » *Deo ergo omnipotenti gratias,* qui in vobis, dum vetera » vestræ familiæ bona custodit, nova multiplicat, et quod » plus est apice dignitatis dignos facit esse culminibus. » Redditur quidem vestræ gloria ista origini, sed, quod est » clarius, merito impetrante personæ... Eloquentiam ve- » terum, dum imitaris, exsuperas ; *discendi formam doc-* » *tissimis tribuis, dum requiris. Est apud me Epistolæ ves-* » *træ, quæ hujus rei fidem faciat, veneranda compositio.* » Utinam quæ a vobis diriguntur, tam essent crebra quam » suavia !... Valere me nuntio, et utrum valeatis imploro ; » ad summam beneficii *postulans ut dignatio me reciproci* » *sermonis attollat : hoc quoque deprecans, ut domum quam* » *in Mediolanensi civitate* et abundantia vestra et neglectus » propemodum jam reliquit, mihi quo vultis genere con- » cedatis. Justum est enim ut *parentes vestri* habeant quod » de patrimonii mole descendit. Credite mihi, Deo teste, » quia si impetrare sine detrimento censûs vestri meruero, » quasi dono obligatus, obsequiis potioribus respondebo. » De qua parte, sic vos feliciter universa contingant, si » securus esse debeo, plenarii mihi documenti dirigite » firmitatem [1]. »

Superest ut dicant nobis qui Boetio christiano adver-

[1] Lib. VIII, ep. I.

santur : 1° cur episcopus Ecclesiæ catholicæ de ethnico viro quodam consule facto tam solemniter *Deo omnipotenti gratias egerit*; 2° quænam et qualis fuerit alicujus pagani tam *veneranda epistola* quam *apud se* asservabat episcopus? 3° An non forsan eadem foret ac ea quæ inscribitur : *Utrum Pater et Filius*. . ad Joannem diaconum Ecclesiæ directa, quæque his verbis clauditur : « Hæc si recte et ex fide se habent, *ut me instruas peto*, » « quibus, ut ait Ennodius, *dicendi formam* doctissimis tribuis, dum requiris » 4° Decetne episcopum Ecclesiæ catholicæ postulare *ut attollatur ad dignationem reciproci sermonis* cum ethnico, ab ipsoque donum cujusdam domûs efflagitare? 5° An non levissime, ut non dicatur perperam, argumentatur pro Boetii paganitate D. Ch. Jourdain [1] ex omissione clausulæ epistolaris : Vale in Christo ? Etenim ex 257 Ennodii epistolis quæ ad christianos directæ sunt, bis [2] tantum occurrit christiana salutatio. Jam si hæc ratio valeret, sequeretur neque Symmachum papam, neque Hormisdam christianos fuisse, quod certe insulsissimum est.

Dum autem donum retardabat Boetius, denuo scribit Ennodius : « Crebras super domo quam poposci litteras » destinavi. Si possibile est cupita tribui, jam referte, » quia omnia ædificia ejus concenescunt. Domine mi, sa» lutationis obsequia dependens, rogo ut vos adjuvetis

---

« [1] Ennodius ne parle pas de sa religion et ne le loue jamais sur ce point ; il » n'emploie même pas avec lui la formule chrétienne : *Vale in Christo*, dont il » se sert avec d'autres, par exemple avec Symmaque. « (*De l'origine des trad. sur le christ. de Boèce*, p. 338.)

[2] Semel tantum ad Symmachum patricium ita claudit epistolam Ennodius : « Vale in Christo nostro, romanæ gentis nobilitas, et me jam ut clientem et famulum pro morum et naturæ luce dignare. » Lib. VII, ep. XXV, Migne, t. LXIII, col. 127.)

» sine vestro dispendio supplicantem[1]. » Quid forsan curaret ethnicus de rogatione alicujus episcopi? — Multiplicat tamen preces Ennodius, utpote doni impetrandi securus : « Sed præstationi vestræ genium dono celeritatis » infundite, Domine mi, cultum salutationis impertiens, » preces adjicio *ut consularem sportulam cum responso » præfatæ petitionis* accipiam. » Vincit tandem Ticinensis episcopus et Anicianam domum impetrat. Dum autem amicissime quereretur Boetius rariores esse episcopi litteras, respondet Ennodius : « Gratias ago quod me ad amicitiæ » custodiam paginæ tuæ flore compellis. Sed si fidei meæ » esses conscius, dubitationem de rebus constantibus non » haberes. Timeo ne ambiguitatem quam credis exhibeas ; » et *dum amantis teporem metuis, in affectionem frigescas*[2]. »

Ex his omnibus Boetii et Ennodii reciprocis sermonibus, ex hac Boetii cum Ennodio tum propinquitate tum familiaritate sequitur, seclusa omni præjudicata opinione, permulta ac non levis momenti exstare vestigia quæ Boetium christianum fuisse fidem faciunt.

CAPUT SEPTIMUM.

DE ORIENTALIUM EPISCOPORUM AD SYMMACHUM PAPAM EPISTOLA, AC DE BOETII IN OPUSCULIS THEOLOGICIS EXARANDIS ANIMO VERE CHRISTIANO.

Interea contra catholicos, fidei scilicet Chalcedonensi adhærentes, sævire non cessabat in Oriente Anastasius im-

---

[1] Lib. VIII, ep. LXXXI, *ibid.*, ep. XXXVII.
[2] Lib. VIII, ep. XXXVI.

perator. Macedonium patriarcham, e sua sede deturbatum in exilium relegaverat, anno 511, et in ejus locum Timotheum hæreticum suffecerat. Quo crudelius autem sæviebat persecutoris animus, eo conjunctius ardentiusque orthodoxæ fidei adhærebant Constantinopoli clerus populusque christianus.

Tunc orthodoxis oppressis, et omni ope auxilioque e partibus Italiæ destitutis, ex insperato succurrit Comitis Vitaliani in imperatorem rebellio. Hæc in chronica Victoris Tunnunnensis[1] episcopi, ad annum 510, nempe Boetio consule, leguntur : « Vitalianus comes[2], fidei catholicæ » subversionem et synodi Chalcedonensis damnationem, » remotionesque orthodoxorum episcoporum atque suc- » cessiones hæreticorum cognoscens, virorum fortium » validam manum congregat, et in Anastasii imperium » rebellat. » In sequenti anno 511, e prælio captivum abduxit Vitalianus Patricium Anastasii nepotem qui imperiali exercitui præfectus, contra ipsum in aciem processerat. Tunc victore Vitaliano adventante, et seditiosis motibus Constantinopoli excitatis, Anastasius, jam antea frustra ad romanæ Ecclesiæ obedientiam invitatus, ultro sponteque in compositionem venire simulavit. Itaque circa annum 513 vel 514, episcopos e sedibus suis ejectos iterum recipi jussit, ac romanam inter et orientalem ecclesiam de pace componenda molitus est. Mox vero cum suæ res in melius succederent, promissis non stetit et rursus in orthodoxos violenter desæviit.

---

[1] Victor Tunnunnæ in Africa episcopus, Chronicam Prosperi Aquitaniæ ab anno 444 ad 556 deduxit.

[2] Vitalianus iste, e Scythia oriundus, magister militiæ, sub Anastasio imperatore, anno 520, imperator ipse factus, post septem menses e vita cessit.

Ex orientalibus episcopis bene multi e sedibus exularunt. Ad ipsos autem consolatoriam epistolam destinavit, anno 512, Symmachus papa, eosque ut fortiter agerent ac pro fide catholica strenue decertarent admonuit :

« Unusquisque ergo exilia et peregrinationes tanquam » domum patriamque respiciat; ne desideriis retentus hu- » manis Christi societate privetur. Ecce tempus quo repetit » fides milites suos, et inclamat ad defensionem sui fer- » vorem gratiæ consecutos. Fidem ipsam dicere judice- » mus : Ecce tempus optabile, ecce fructum desiderata » fidelium congregatio ut parvis passionibus munera » magna compenset[1]. »

Suaviter ac fortiter simul Orientales alloquebatur Symmachus. Incipit enim hæc eadem epistola his gravibus verbis : « *Quod fieri plane cupimus, si quæ scribimus impleantur....* » Recedant ergo omnes a communione Acacii hæretici ; ejus nomen a diptychis Ecclesiæ deleant, tum eos iterum ad suam communionem summum pontificem recepturum esse ac nova benevolentia complexurum. Hæc autem Epistola, Ennodii manu exarata, data est octavo Idus octobris « post Felicis, viri clarissimi, consulatum[2]. » Fuit autem consul Felix, anno 511 ; referenda est ergo ad orientales Epistola ad annum 512 incipientem.

Huic documento etiam apprime consonat, tam rerum ac rationum serie, tum verborum significatione Ennodii dictio sexta[3], *de Hæreticis in Synodo,* quam coram Patrum senatu, in Consistorio, ut creditur, recitavit ipse summus pontifex.

---

[1] Baronius ad annum 512. Hæc verba : « ecce fructum... » locum certo corruptum obscurant. Forsan legendum : *desiderans*, loco *desiderata*.

[2] Baronius, ad annum 512.

[3] Migne, t. LXIII, col. 274.

Exstat autem sat ambitioso titulo inscripta quædam orientalium episcoporum Epistola : *Ecclesia Orientalis episcoporum ad Symmacum,* hisque verbis orditur : « Bonus ille et amator hominum Dominus noster Jesus Christus, qui propter bonitatem suam in nos, declinans cœlos, et descendens ad terras, immaculatis evangeliis quotidie illud clamat : non est opus valentibus medico, sed male habentibus.... etc. » Tum profitentur romanum pontificem esse totius Ecclesiæ præsulem : queruntur se ut hæreticos haberi et anathemate percelli, sed immerito. Confitentur patrem Acacium deliquisse, verum non ita ut publice communionem cum ipso abrumpere necesse sit. Non enim agitur de fide christiana, quam ad mortem usque defendere sese paratos affirmant.

« Festina, inquiunt, et noli tardare ad Orientis auxilium...
» et inter duas diabolici vias erroris Eutychetis atque
» Nestorii tertiam, imo mediam, nobis ostendas expressius
» veri rectique dogmatis viam.... Docuerunt Sancti illi et
» beati Patres[1] unam scire personam... ex duabus subs-
» tantiis et naturis, in duabus substantiis et naturis,
» magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Nos enim,
» o sanctissime et beatissime Symmache, eumdem esse exis-
» timamus *ex* duabus naturis, *et in* duabus naturis . . ex
» duabus enim dicentes, ex quibus subsistit unitas; in

---

[1] Patres scilicet Concilii Chalcedonensis, œcumenici IV, in quo recitata est coram 630 episcopis percelebris illa S. Leonis papæ ad Flavianum epistola de Incarnationis mysterio. Liceat hinc pauca desumere : « Propter hanc ergo unitatem personæ in utraque natura intelligendam, et Filius hominis legitur descendisse de cœlo, quum Filius Dei carnem de ea Virgine de qua natus est assumpserit; et rursus Filius crucifixus dicitur et sepultus, quum hæc non in divinitate ipsa, qua Unigenitus sempiternus et consubstantialis est Patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. » Hæc audientes conclamarunt Patres : « Nos ita credimus, Petrus per Leonem locutus est. »

» duabus autem, in quibus visus et palpatus est, et » assumptus post passionem et resurrectionem confite» mur »....

Suspectam haud immerito et omni cautela dignam hanc epistolam censuit Symmachus papa, utpote conscriptam, jussu imperatoris Anastasii, ab aliquo episcopo concordiæ plus æquo indulgenti. Itaque ut pleniori judicio sententia diceretur conventum[1] indixit Pontifex virorum doctorum ac religiosorum, tam ex clericis quam ex laicis in unum collectorum. Huic conventui, ut videtur, aderat Boetius atque ejus amicus diaconus Joannes, et Symmachus socer. Hæc luculenter describit Boetius in proœmio opusculi cui titulus: *Liber contra Eutychen et Nestorium*, ad diaconum Joannem. Liceat hinc perpauca delibare ut jam nunc elucescat thesis nostræ veritas. De his enim fusius postea. Hæc ad Joannem scribit Boetius :

« Anxie te quidem diuque sustinui, ut de ea quæ in » conventu mota est quæstione loqueremur. Sed quoniam » et tu quominus venires occupatione distractus es, et ego » in crastinum constitutis negotiis implicabar, mando

---

[1] Talis conventûs specimen refert Epistola dogmatica 15ª S. Leonis M. ad Turribium, Asturicensem episcopum, et ad episcopos Hispaniæ, qua monentur de modo quo res adversus Priscillianistas gerenda sit : « Manichæorum turpitudinem, » ait Pontifex, ad publicam fecimus pervenire notitiam, ne ullo modo possit » dubium videri, quod in judicio nostro, cui non solum frequentissima præsentia » sacerdotum , *sed etiam illustrium virorum dignitas et pars quædam senatûs* » ac plebis interfuit, ipsorum, qui omne facinus perpetrarunt ore reseratum est. » (Baronius, ad ann. 444.) Idem adhuc invenitur tractandi modus in lectione carminum presbyteri cujusdam Aratoris, qui Actus Apostolorum in versus redegerat; quæ lectio septem vicibus per plures dies locum habuit, anno 544, coram clericis ac religiosis viris, plerisque senatoribus (Migne, t. LXIV, col. 1340). — Senatores non raro versari circa quæstiones theologicas testatur etiam responsum Presbyteri Trifolii ad Faustum senatorem, anno 518, de doctrina Scytharum monachorum, qui unum de Trinitate passum affirmabant (Migne, t. LXIII, col. 534).

» litteris quæ coram loquenda servaveram. Meministi enim
» cum in concilio legeretur epistola, recitatum Eutychianos
» *ex* duabus naturis Christum consistere confiteri, *in* duabus
» autem negare; catholicos vero utrique dicto fidem præbere,
» nam *ex* duabus eum naturis consistere *et in* duabus apud
» veræ fidei sectatores æqualiter credi. Cujus dicti novitate
» percussus harum conjunctionum quæ ex duabus naturis
» vel in duabus consisterent differentias inquirebam, mul-
» tum scilicet referre ratus, nec inerti negligentia præte-
» reundum, quod episcopus scriptor epistolæ tanquam
» valde necessarium præterire noluisset. Hic omnes aper-
» tam esse differentiam nec quidquam in eo esse caliginis,
» inconditum confusumque strepere, nec ullus in tanto
» tumultu qui leviter attingeret quæstionem, nedum qui
» expediret inventus est. Absederam ego ab eo quem
» maxime intueri cupiebam longius atque ab eo, si situm
» sedentium recorderis, aversus, pluribusque oppositis, ne
» si ægerrime quidem cuperem, vultum nutumque ejus
» aspicere poteram, ex quo mihi aliqua ejus darentur signa
» judicii. . Tuli ægerrime fateor compressusque indoctorum
» grege, conticui, mutuens ne jure viderer insanus si sanus
» inter furiosos haberi contenderem. Meditabar igitur....
» Tandem patuere pulsanti animo fores et veritas inventa
» quærenti, omnes nebulas Eutychiani reclusit erroris....
» Sed ab illis ad te transeo, cui hoc quantulumcumque est
» examinandum prius perpendendumque transmitto. Quod
» si recte se habere pronuntiaveris, peto ut mei nominis
» hoc quoque inseras chartis; sin vero vel minuendum
» aliquid vel addendum, vel aliqua mutatione variandum
» est, id quoque postulo remitti meis exemplaribus, ita ut

» ad te revertatur transcribendum. Quæ ubi ad calcem
» ducta constiterint tum demum ejus cujus soleo judicio
» censenda transmittam.... »

Ex hoc fonte dimanant quam firmissimæ pro nostra thesi rationes. Nam certum est : 1° Quæstionem in Orientalium epistola motam eamdem prorsus esse ac ea ipsa quæ solvitur in Libro Boetii adscribendo cui titulus : *Liber contra Eutychen et Nestorium* ad Joannem diaconum, quæque iisdem omnino terminis continetur ; 2° Auctorem Libri hujus ad epistolam *ab episcopo* conscriptam alludere quæ nulla alia est quam Orientalium epistola, nullam quidem subscriptionem referens, sed ab aliquo episcopo quidem exarata[1] ; 3° Audientium, adstantium animos infense acerbeque erga Orientales dispositos fuisse, prout istius temporis historia testatur; nam discordia inter utramque Ecclesiam usque ad annum 519, Justino imperante, perduravit; 4° Ex procemii verbis allatis, videtur Symmachus patricius conventui adfuisse : *Absederam ego ab eo quem maxime intueri cupiebam...* quæ nonnisi ad Symmachi ac Boetii consuetudinem et necessitatem referuntur ; 5° Ad Joannem diaconum, ut testantur codices, destinatur hic liber quem Boetio adscribimus, *ut corrigantur quæ minus recte,* utpote a laico viro conscripta, excidissent. Jam in duobus aliis libris Boetio adscriptis idem occurrit : « Hæc si se recte ex fide habent, ut me intruas peto[2] ; » « Quæ utrum recte decursa sit (quæstio) an minime, vestræ statuet pronuntiationis auctoritas[3] ; 6° alius præter Boetium, *Libri contra Eutychen*

---

[1] Baronius, ad ann. 512.
[2] *Utrum Pater et Filius*, sub finem.
[3] *De Trinitate*, liber.

et Nestorium auctor assignari nullus potest, quin imo Boetius unus fuit satis in arte dialectica versatus, qui tam lucidum tam subtiliter exaratum librum conscribere potuerit[1]. Certum est denique ex hoc Boetii scripto quæstionis motæ solutionem dimanâsse. Etenim, ante annum 511 vel 512 nusquam in publicis Ecclesiæ monumentis inveniuntur hæc verba : Christus *ex duabus et in duabus naturis* consistit. Affirmat quidem Gregorius Nyssenus Christum unum in duabus naturis ἕνα ἐν ἀμφοῖν τὸν χρίστον ; idem etiam invenire est apud Hilarium, Ambrosium, Augustinum ac Basilium. Sed nusquam reperitur istud assertum : Christum *ex duabus et in duabus naturis consistere ;* inde autem ab anno 511 vel 512 hæc posterior sententia apud omnes occurrit. Testis est sanctus Avitus, Viennensis episcopus, qui in epistolis ad Gundobaldum[2] regem utroque dicendi modo, *in et ex duabus naturis* utitur, contra Eutychianum errorem. Testis etiam Vigilius Tapsensis, circa annum 480, qui in suis *contra Eutychetem Libris*[3] hanc ipsam quam Boetio adscribimus dictionem adhibet seclusis aliis. Testis Fulgentius Ferrandus[4] qui ipsa Boetii verba usurpat ad recte

---

[1] Utrum ut censet Obbarius, sit iste liber « confuse conscriptus » infra videbitur. Istiusmodi judicii veniam demus scriptori qui nec crassiora quidem theologiæ catholicæ elementa etiam primoribus labris tetigit, ut infra palam faciemus.

[2] « In una eademque persona quæ divinitati humanitatique competerent exprimentem.... » — « Unus factus *ex* utroque, ut qui *ex* divinitate constaret et corpore. » — « Cui tam Deo quam homini vero *in* utraque natura fideliter proprio *in* divinitate mansisse. » (Migne, t. LIX, ep. II, III, XXVIII, ad ann. 512 vel 513.)

[3] « Manet enim utraque, id est verbi carnisque natura,et ex his duabus hodieque manentibus, unus est Christus, unaque persona. » (Lib. I, c. IV.) — *Ex* utrisque Christus subsistens unus est *in* utroque... nec tamen est alius in Verbo, alius in carne, sed *ex* utroque et *in* utroque, unus atque idem Christus (Lib. IV, c. XIX) ; cf. Migne, t. LVIII. — Hæc autem scripta referuntur ad annum 518 vel 520, ut diserte adstruit D. Remy Ceillier (*Hist. gén. des aut. sac. et prof.*, (tom. XV, ch. XVII.)

[4] Epistola tertia ad Anatol. diacon. circa 533 ; epist. quinta ad Sever. schol. Constant., c. IX et XI. (Migne, t. LXVII.)

exprimendam fidem de Christo, dum dicit : « Unam Christum *ex* duabus *et in* duabus naturis confitendum »; — « *ex* duabus *et in* duabus substantiis unam Christum habere personam » ; « Christum *ex* duabus *atque in* duabus substantiis vel naturis unam habere personam. » Testis est Cassiodorus[1] qui in expositione psalmi octavi ita dicit : « Sic Dominus Christus *ex* duabus *et in* duabus naturis inconfusis atque distinctis una persona salubriter et indubitanter agnoscitur. » Testis demum Joannes papa II, in sua ad senatores epistola[2] : « Christum unum esse sanctæ Trinitatis *ex* duabus naturis cognoscendum, *hoc est in* deitate et humanitate perfectum. »

Est autem Renati Vallini qui Boetii opera Lugduni Batavorum edidit, anno 1636, ac notis illustravit, maxima laus, quod primus scilicet ad hanc connexionem inter orientalium episcoporum epistolam et librum *de natura et persona Christi* Boetio adscriptum, animos attentos fecerit. Hac enim quæstione soluta, tollitur et dubium de Boetio theologo ac christiano philosopho. Vallini viam secuti sunt in Germania Baur[3], Süttner[4], Schündelen[5], Gfroerer[6], et Moehler[7]. Peiper[8] autem recentissimus Boetii editor, censet cum Nitzschio[9], epistolam episcoporum orientalium

---

1 Ad annum circiter 538.

2 Baronius, ad ann. 534.

3 *De Boetio christianæ doctrinæ assertore*, Darmstadt, 1841.

4 *Boëthius, der letzte Roemer*, Eichstadt, 1852.

5 *Apud Theol. Literaturblatt*, Jahr 1868, 1870, 1871.

6 Kirchengeschichte, vol. II, 948-953.

7 *Histoire de l'Eglise*, par Mœhler, publié par Gams, t. II, p. 32, Gaume, Paris, 1869.

8 *A. M. S. Boetii*, *Philosophiæ consolationis*, libri V, accedunt opuscula sacra, recensuit Peiper, Lipsiæ, 1871.

9 *Das system des Boethius*, Berlin, 1860.

ad Symmachum papam scriptam quidem esse circa annum 512, Librum autem Boetii *contra Eutychen* exaratum esse paulo post Chalcedonense concilium ab ignoto quodam auctore. Hanc sententiam carpit atque infirmat Schündelen, dum ex iis quæ retulimus citatis planum facit nullum exemplum dictionis Orientalium de Christo *in et ex* duabus naturis in documentis inveniri ante annum 512 vel 513. Cum autem Boetii disquisitio quæ difficultatem solvit a Joanne diacono, seu a Sede Apostolica, auctoritatem obtinuerit, omnes uti vidimus, in hanc sententiam certatim abierunt, Boetii verba *in et ex* duabus naturis, usurpantes. De cætero Peiper Boetium theologum asserit, illumque ut certum adsignat auctorem trium opusculorum *De Trinitate, Utrum Pater et Filius* ac *Quomodo substantiæ,* etc. De Peiperi in Boetium bene meritis gratiam Deo referentes, aliis duobus opusculis, scilicet : *De fide catholica* et *Libro contra Eutychen et Nestorium* Boetio ex integro restituendis haud impares esse videmur.

Nullum enim sat firmum argumentum contra istorum librorum genuinam a Boetio originem in medium affertur. Nullus alius auctor, ne probabiliter quidem assignatur. E contra si de Libro contra Eutychen et Nestorium quæstio est permultæ ac firmissimæ rationes unum Boetium monstrant. Cuilibet enim hunc librum perlegenti perspicuum videtur illum a laico viro, in arte dialectica peritissimo exaratum fuisse. Huic operi ansam dedit Orientalium de qua diximus Epistola, eo quidem tempore quo vocabula e metaphysica ad theologiam translata nondum apud Græcos et Latinos eumdem sensum referebant. Tota materia hujus libri, scilicet procemium, quod cæteris Boetii procemiis ap-

prime consonat, diversæ de *natura* juxta Aristotelem definitiones (Cap. I); definitio *personæ* quæ in scholis hodiedum etiam usurpatur ac divisio substantiarum « quarum aliæ sunt corporeæ, aliæ incorporeæ, etc. (Cap. II); » tum quatuor terminorum *essentiæ substantiæ, subsistentiæ* ac *personæ* cum græcis nominibus æquivocis collatio (Cap. III); demum refutatio Nestorii (Cap. IV), et Eutychetis (Cap. VI), tam pressa argumentandi ratione, ac conclusio totius disquisitionis in hac *media sententia* quam tenet Ecclesia catholica; hæc tam ardua materia tanta dicendi diligentia ac gravitate luculenter exposita, nullum alium, nisi Boetium, auctorem proclamant. Audiamus illum quæstioni de qua agitur in Epistola respondentem : « ac hi ita aiunt *ex* duabus quidem naturis Christum consistere *in* duabus vero minime ... Non enim poterit *in* utrisque constare, quando utrorumque natura non permanet; *ex* utrisque enim constare potest, licet ea ex quibus conjungitur alterutra qualitate corrupta sint. In utrisque vero hujusmodi constare non poterit, quoniam ea quæ in se transfusa sunt non manent, ac non sunt utraque in quibus constare videatur, cum ex utrisque in se invicem qualitatum mutatione transfusis. Catholici vero utrumque rationabiliter confitentur, nam et *ex* utrisque naturis Christum *et in* utrisque consistere.... in utrisque quidem, quia manent utræque, ex utrisque vero, quia utrarumque adunatione manentium, una persona fit Christi (Cap. VI et VII). »

Licet ea prorsus ignoremus quæ cætera opuscula conscribendi Boetio locum dederint, id ex adversariorum confessione recolimus hæc opuscula ad Boetii tempus pertinere. Ille solus qui *Introductionem* Porphyrii transtulit et

in Aristotelis categorias commentatus est, tam recte ac diligenter præscribere potuit regulas de accurata prædicatione divinitatis ac Trinitatis.

Libellus *Quomodo substantiæ* doctrinam de participatione creaturarum a summo bono eamdem prorsus ac in *III° Consolationis* exponitur, tradit.

In opusculo *de Fide catholica*, quod velut pium ad filios Boetii testamentum æstimat Schündelen [1], singula fidei christianæ dogmata tam accurate describuntur, tota religionis historia tam diligenter texitur, ut nemini dubium incurrat quin hoc opusculum, sicut cætera, ab amicissimo Joanne diacono correctum fuerit. De pelagiana hæresi et de Pelagii nomine quasi de rebus fere jam Romæ ignotis loquitur auctor. Pelagius damnatus fuerat in concilio Carthaginiensi anno 418. Anno autem 529, tempore scilicet concilii Arausicani, totaliter exstincta erat pelagiana proles. Alludit etiam hic liber ad Sabellianorum hæresim, de qua a Leone Magno ad Turribium Asturicensem episcopum, anno 447, percelebris epistola [2] directa est, quam certo noverat auctor libri *de Fide catholica*.

Librum *de Trinitate* exaratum esse a Boetio permulta demonstrant. Iis quæ dixit auctor de accidentibus et sub-

---

[1] *Theolog. Literat.*, Bonn., ann. 1870, p. 811.

[2] Apud Labbe, t. III, p. 1411. « Quum impie sentiant de Trinitate...., unam eamdemque asserunt esse personam, tanquam idem Deus, nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus Sanctus nominatur; nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, et alius qui de utroque processit, sed *singularis unitas in tribus quidem vocabulis*, sed non in tribus sit accipienda personis. Quod blasphemiæ genus de *Sabellii* opinione scripserunt. » Audiamus nunc auctorem libri *de Fide catholica :* « Sabelliani quoque non tres existentes personas, sed unam ausi sunt affirmare eumdem dicentes Patrem esse qui Filius est, eumdemque Filium qui Pater est, atque Spiritum Sanctum eumdem esse qui Pater et Filius est, ac per hoc *unam dicunt esse personam sub vocabulorum diversitate* signatam. »

jecto, de diversitate triplici, tum generica, tum specifica, tum numerica, de divisione scientiarum, de prædicamentis ac præsertim de relatione, genuina Boetii opera loca simillima ac parallella continent. De cætero, hoc tam luculentum ac magnificum opus quod, inde ab Hincmare usque ad D. Thomam mirantur omnes, tum rerum serie ac rationali methodo, tum etiam stilo ad brevitatem contracto, arianam hæresim quæ tum in Italia vigebat in fronte percellit. Igitur hujus operis Boetio adscribendi ratio et opportunitas temporis, tanti viri ingenium ac sensus vere christianus necessitatem quamdam faciunt.

CAPUT OCTAVUM.

BOETII ULTIMA FATA ET MORS.

Tota Theodorici regis administrandæ Italiæ ratio in eo erat ut germanicæ quæ Italiam invaserant nationes in unum imperium cum Latinis adunarentur, et occidentale Gothorum imperium in perpetuum constitueretur. Ideo jus romanum ac fere omnia veteris imperii romani instituta retinuerat Theodoricus.

Tolerantiam religiosam [1], ut dicunt, erga catholicos et Judæos maximam exhibuerat, suum thronum incolumem stare ratus, si in tuto collocarentur pretiosissima quæque populorum bona, religio scilicet ac justitia. Inde, toto durante Theodorici regno, catholicorum jura sarta tutaque in Italia fuerunt. Ipsi Romam adventanti obviam fuit romanus

[1] « Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur ut credat invitus. » (Cassiod., *Var.*, lib. II, ep. XXVII.)

antistes Symmachus. Idem Pontifex arianum regem Theodoricum in Urbe ecclesiam S. Petri et apostolorum limina venerantem excepit. Gothicæ in Italia dominationi favebat Anastasii imperatoris in orientales catholicos agendi ratio. Dum enim orthodoxos persequeretur, opprimeretque impius Anastasius, nihil pro rebus gothicis in Italia periculi erat. Anno autem 518, in propria domo, fulmine percussus Orientis imperator detestabilem vitam miserrimo finivit exitu, ac Justino principe catholico in ejus locum succedente, pax Ecclesiæ restituta est. Ad Hormisdam pontificem scribebat enim Justinus[1], anno 519 : « Quid autem gratius » reperiri potest, quid justius, quid illustrius quam quos » idem regnum continet, ejusdem fidei cultus irradiat, eos » non diversa contendere...? »

Eodem anno quo hæc gratissima verba ad summum pontificem destinabat Justinus imperator consulatum gerebat Eutharicus comes qui Theodorici Amalasuntham filiam in uxorem duxerat. « Fuit autem Eutharicus, ait anonymus Valesianus, nimis asper et contra fidem catholicam inimicus. »

Ergo Eutharici consulis in catholicos infensus animus, Francorum christianissimi regis recentes victoriæ et in Sedem Apostolicam vere filialis ac necessarius affectus, ejusdem cum Justino principe pax et amicitia, necnon ipsius Justini Romanorum imperatoris pia in romanum Pontificem et Ecclesiæ devota administrandi ratio, novum Theodorici regis consilium, novos rerum impulsus aperiunt. In his extremo-

[1] Hormisdæ epist. et decret., Migne, t. LXIII, col. 449. — Anno 514 e vita cesserat Symmachus papa, ac septem post ejus obitum dies electus fuerat in summum Pontificem Hormisdas, sanctæ ecclesiæ romanæ diaconus, qui lateri Symmachi papæ semper inhæserat (Baronius, ad ann. 514).

rum Boetii fatorum causæ quærendæ. Fuisse Boetium ad munus *Magistri Officiorum* a rege adscitum vix credibile est, et unico anonymi Valesiani æquivoco testimonio fulcitur. Non sat diligenti verbo usus est Valesianus, cum Boetii patricii, exconsulis, pro Albino apud regem accusato intercedentis ac defendentis rationem tradere intenderet. De cætero Boetii mores, ingenium, studia, necessitates, parentela, Romæ, in domo sua commorandi licentia, ac non Veronam, in aulam Theodorici, domûs ac totius familiæ migratio necessaria; hæc omnia cum Boetii *Officiorum Magistratura* gerenda reluctant. Quid, si ad hujus officii munia spectamus? « Ad eum pertinet, ait Cassiodorus, Palatii disciplina, ipse » insolentiam, scholarum mores procellosos moderationis » suæ terminis prospere disserenat.... Per eum senator » veniens nostris (Regis) præsentatur obtutibus : admonet » tepidum; componit loquentem; sua quin etiam verba » solet inserere, ut nos decenter omnia debemus audire.... » promissor collocutionis nostræ, gloriosus senator aulici » consistorii.... Causarum præterea maximum pondus in » ejus audientiæ finibus optima securitate reponimus[1]... »

Multo magis ad veritatis normam inducunt varia quæ refert ipse Boetius de sua indefessa contra Gothos, pro tuendis æquitatis ac Latinorum juribus intercessione[2]. Ita Conigastum exactorem, miserorum civium fortunas invadentem, sæpius repressit; Trigwillam, regiæ domûs præfectum, ab incœpta jamque perpetrata prope injuria revocavit; ne injusta coemptio Campaniam inedia consu-

---

[1] *Var.*, lib. VI, formul. 6.

[2] *Consol.*, lib. I, pr. 4. — Cf. Cassiod., *Var.*, lib. I, epist. XII et XIII; lib. IX, epist. X, XI, XII, XIII et XIV.

meret effecit; Paulinum, consularem virum, Albinum, pluresque alios, tum plebeios, tum patricios a Gothis impetitos, non sine magno suî periculo protexit atque defendit.

Inde improborum omnium, ac plurimorum etiam qui gothicæ dominationi adhærebant, sive Romæ in senatu, sive Veronæ in aula Theodorici, ardentes in se concitaverat inimicitias Boetius. Quo majori pollebant auctoritate qui injusta moliebantur, eo gravori se sentiebant injuria lædi, eo impacatiori odio Boetium persequebantur. Hinc palatinæ canes[1] contra ipsum latrantes; hinc improbi delatores, quales Gaudentius, Opilio et Basilius; hinc Cyprianus iste sycophanta in senatoris Albini accusatione Boetium perdendi occasionem aucupans.

Anno 521 e vita cessit Ennodius, Ticinensis episcopus, Boetio propinquitate conjunctus, qui in hoc extremo rerum discrimine ipsi auxilio fuisset. Ennodius enim, anno 507 vel 508, Mediolani aut Ravennæ, panegyricum sermonem in principis Theodorici laudem, emphatico ac laudativo dicendi genere, actor ipse dixerat et in Regis gratia permanserat.

Postquam Eutharico consuli ac genero suo regni curam demandaverat Theodoricus Veronam se contulit. Narrat autem anonymus Valesianus, consonante Cassiodoro[2], Judæos Ravennates gratia Theodorici superbientes, catholicorum odium in se concitasse, ac Judæorum synagogas a catholicis incendio deletas fuisse. Injuriæ ulciscendæ causa venerunt Judæi ad Theodoricum, qui jussit « catholicos propriis sumptibus synagogas reædificare. » His cognitis,

---

[1] *Consol.*, lib. I, pr. 4.
[2] *Var.*, lib. II, ep. XXVII; lib. V, ep. XXXV; lib. IV, ep. XLIII.

exasperati in Judæos Romani, quæ erant Romæ synagogas incendio deleverunt. Tum Judæorum partes ardenter amplexus est Theodoricus, ad Senatum Epistolam direxit qua incendii reos puniri jussit, et quosdam de senatu tanquam sceleris participes indicio monstravit. Quæ quidem res non tam gravis momenti dum civili disceptatione ac damni reparatione contineretur, maximo pondere et dolore catholicos oppressit, quamprimum hanc in odium suæ religionis a principe decretam definitamque senserunt [1].

Hinc conjicere licet electionem ad consulatum duorum filiorum Boetii, anno 522, non fuisse alienam his animorum in regem infense dispositorum affectibus, rege ipso Theodorico catholicos hac in Boetium et Symmachum gratia ad pacem provocante. Hinc etiam intelligitur cur, Romæ, cum magistratum acciperent Symmachus et Boetius junior solemniter, festive, et insueto prorsus modo, dies celebrata sit; quod, suggerente Philosophia, ad posteros tradit ipse Boetius, dum dicit in *Consolatione :* « Si quis rerum mortalium » fructus ullum beatitudinis pondus habet, poteritne illius » memoria lucis, quantalibet ingruentium malorum mole » deleri? Cum duos pariter consules liberos tuos domo » provehi, sub frequentia patrum, sub plebis alacritate vi- » disti, cum eisdem in curia curules insidentibus, tu, regiæ » laudis orator, ingenii gloriam facundiæque meruisti, cum » in circo, duorum medius consulum, circumfusæ multi- » tudinis expectationem triumphali largitione satiasti [2]. »

---

[1] Hanc vulgi opinionem aperit Anonymus his verbis : « Ex eo enim invenit diabolus locum quemadmodum hominem bene rempublicam sine querela gubernantem subriperet. »

[2] Lib. II, pr. 3.

Boetium « regiæ laudis oratorem » atque etiam pro juribus Ecclesiæ decertantem prædicare nos ne leviter quidem gravat, qui de catholici viri officiis erga principem bene conscii, pro certo tenemus Boetium sive domi, sive in publico Theodorico regi constans ac fidele obsequium præstitisse. Annon ad Ennodii exemplum regis ariani laudem celebrare potuit Boetius? Annon hucusque, id est per annos fere triginta, ut ait anonymus, « bene rempublicam sine querela gubernaverat » Theodoricus? De regia ergo laude minime tacuit Boetius et recte quidem. Has regias laudes enodent ii qui, ut Langsdorff[1] et Gfroerer[2] Boetium nobis rebellem atque contra Theodorici imperium cum orientalibus conspirationem conflantem finxerunt.

Etenim si regem Theodoricum laudibus extollit Boetius et in nefaria contra regnum consilia eo ipso tempore

---

[1] « Théodoric irrité... vit qu'au lieu de songer à protéger les autres (les ariens proscrits), il fallait se défendre contre des ennemis plus proches et plus dangereux.... *Cette conspiration catholique*, par laquelle il se trouvait cerné, avait ses chefs et ses agents au sein même de son Empire (p. 842)... Boèce dut conspirer, il conspira; les révélations de son livre, ses demi-aveux sont moins explicites encore sur ce point que *les preuves qui résultent des données générales* (*!!!*). Il conspira comme tous ces héroïques défenseurs des nationalités vaincues, pour lesquels l'histoire garde au moins son respect et ses sympathies (p. 851).... Théodoric usait d'un droit incontestable en se défendant, en faisant exécuter un jugement régulier, en punissant les conspirateurs partout où ils se trouvaient. » (*Théodoric et Boèce*, par M. Langsdorff, *Revue des Deux-Mondes*, année 1847, t. XVII, p. 842, 851.)

[2] « Pour qui a lu attentivement nos observations sur les événements qui se passaient en Afrique, il n'est pas douteux que Justinien favorisait en Italie une conspiration qui devait replacer ce pays sous sa puissance. Dès lors Théodoric avait le droit incontestable de punir, selon la rigueur des lois, ceux de ses sujets qui trempaient dans ces complots. Boèce était-il du nombre des conjurés? *Il serait difficile d'en douter.* » (*Histoire générale de l'Eglise*, Schaffouse, Hurter, 1846.) Juxta hujus *conjecturalis methodi* placita, quis jam falso crimine accusatus non deveniet ad posteros ut nefarius et reus, ac merito capite plectendus? Sed quid de Symmacho? Quid de S. Joanne papa, quibus nullum conspirationis vel majestatis crimen defertur, qui tamen unus gladio, alter inedia, ambo morte ab irato rege plectuntur?

consentit, jam desinit esse et christianus et vir probus; quod tamen nolunt ii critici, nam Boetium « philosophum » et « romanæ libertatis vindicem, » innocentem et magnanimum prædicant. Interea, anno ut videtur 523, delator quidam, Cyprianus[1] nomine, qui, e regia domo ad referendarii munus accesserat, senatorem Albinum, virum consularem incusat « quod litteras adversus regnum imperatori Justino miserit. » Interrogatus Albinus, cum factum negaret, « tum Boetius patricius qui Magister officiorum[2] » erat, in conspectu regis dixit : Falsa est insinuatio » Cypriani, sed si Albinus fecit, et ego, et cunctus senatus » uno consilio fecimus, falsum est, Domine Rex[3]. » Audiamus etiam Boetium de Albini ac totius senatus defensione memorantem : « Ne Albinum consularem virum præjudicatæ accusationis pœna corriperet odiis me Cypriani delatoris opposui.... at cujus criminis arguimur summam quæris? Senatum dicimur salvum esse voluisse. — Modum desideras? — Delatorem, ne documenta deferret quibus

---

[1] Cassiod., *Var.*, lib. VI, form. 17; Anonymus : « Cyprianus qui tum referendarius erat, postea comes sacrarum et magister. »

[2] Jam diximus huic Officiorum Magistri muneri Boetium imparem fuisse ex tota sui ingenii et animi natura. Cum de cæteris officiis ac dignitatibus quæ induerit Boetius mentio fit in Consolatione, de hoc Officiorum magisterio ne verbum quidem occurrit, inde supponendum Anonymum parum diligenti vocabulo usum fuisse ut aperiret Boetium *ante alios e senatu deputatos coram rege verba fecisse.* Ita conjicit Schündelen (*Theol. Literaturblatt*, ann. 1871, col. 603).

[3] Objiciunt alii non raram Boetii intercessionem ad reprimendas Gothorum rapinas sive in privatos homines, sive in ipsam domum regiam, juxta hæc verba : » Quoties ego Conigastum in imbecilli cujusque fortunas impetum facientem » obvius excepi? Quoties Triguillam regiæ præpositum domus ab incœpta perpe- » trata jam injuria dejeci...! » haud facile intelligi, sine dignitate *magistri officiorum.* Ast reponendum ab omnibus notum fuisse Boetium ut Latinorum defensorem ac patronum contra Gothorum avaritiam; inde ad eum ex omni parte regni querelas destinatas esse, atque ita pro sua dignitate viri consularis ac patricii apud regem intercessisse verisimile est.

senatum majestatis reum faceret, impedisse criminamur. »

Hac prima actione Cypriani videtur indamnatus exivisse Boetius. « Magnas autem in seipsum exacervaverat discordias ». « Post hæc, ait anonymus, cœpit adversus romanos Rex subinde fremere, inventa occasione... sed Rex dolum romanis ten(d)ebat, et quærebat quemadmodum eos interficeret; plus credidit falsis testibus quam senatoribus. »

Sceleris instrumenta quæsivit et invenit « Cyprianum hæsitantem » inter nefarios illos viros quorum sceleribus et avaritiæ sese fortiter opposuerat Boetius. Primus ante alios adfuit Opilio, Cypriani frater, qui in judicis officio exercendo, cum ignoto quodam scelerum consorte Gaudentio, multas rapinas audacter perpetraverat, atque in exilium a Theodorico actus, cum consorte Gaudentio, intra cujusdam ecclesiæ septa, Cypriano favente, asilum invenerat[1]. « Cumque illi » parere nolentes sacrarum sese ædium defensione tuerentur, compertumque id regi foret, edixit : uti ni intra » præscriptum diem Ravenna urbe decederent, notas insigniti frontibus pellerentur[2] ». Iis in auxilium venit Basilius quidam, e regis servitio olim depulsus, qui æris alieni necessitate compulsus, delatoris contra Boetium partes suscepit[3].

Primum ergo duo fuerunt a Cypriano illata Boetio crimina : crimen scilicet publicæ proditionis[4], et crimen male-

[1] *Consol.*, lib. I, pr. 4.
[2] *Ibid.*
[3] *Ibid.*
[4] « At cujus criminis arguimur summam quæris ? Senatum dicimur salvum esse voluisse. » — « De compositis falso litteris quibus libertatem arguor sperasse romanam quid attinet dicere ? » (*Ibid.*)

ficii[1], quod crimen quidem ad religionem pertinebat, sed quinquevirali judicio, ut vidimus, inquiri ac puniri poterat. Hoc alterum crimen, priori non sat rationibus confirmato *admixtum* fuit, ut ait Boetius. Contra delatorum mendacia et calumnias innocentiam suam, ut virum probum et honestum decet, affirmavit Boetius. « An optasse, ait, illius ordinis (senatûs) salutem nefas vocabo ? » Quæ verba conferre convenit cum istis : « Meministi, *quum* Veronæ *rex avidus communis exitii,* majestatis crimen in Albinum delatum, *ad cunctum senatûs ordinem transferre moliretur, universi innocentiam senatûs* quanta mei securitate periculi defenderim. » Quod attinet ad litteras datas et interceptas, fatetur quidem Boetius se « impedisse ne delator deferret documenta quibus senatum majestatis reum faceret. » Inde autem nullatenus sequitur hæc documenta authentica fuisse; quin et contrarium potius elucet ex sequentibus : « Nam de » *compositis falso litteris*, quibus libertatem arguor sperasse » romanam quid attinet dicere ? — Quarum fraus aperta » patuisset, si nobis ipsorum confessione delatorum, quod » in omnibus negotiis maximas vires habet, uti licuisset. » Nam quæ sperari reliqua libertas potest ? Atque utinam » posset ulla[3] ! » Boetius ergo innocentiam suam nec non universi senatûs rationibus confirmatam asserit, si defensioni locus ac potestas facta fuissent. De maleficii querela indignabundus ita dicit : « Ob ambitum dignitatis sacrilegio

---

[1] « Cujus dignitatem reatus ipsi etiam qui detulere viderunt quam uti alicujus sceleris admixtione fuscarent, ob ambitum dignitatis sacrilegio me conscientiam polluisse mentiti sunt. » (*Consol.*, lib. I, pr. 4.)

[2] *Ibid.*

[3] *Ibid.*

» me conscientiam polluisse *mentiti sunt*. Atqui et tu (Phi-
» losophia) insita nobis, omnem rerum mortalium cupidi-
» nem de nostri animi sede pellebas, et *sub tuis oculis*
» *sacrilegio locum esse fas non erat*... Nec conveniebat *vilis-*
» *simorum me spirituum* præsidia captare, quem tu in
» hanc excellentiam componebas, ut consimilem Deo
» faceres. Præterea penetral innocens domûs, honestissi-
» morum cœtus amicorum, socer etiam Symmachus
» sanctus, et æque actu ipso reverendus, ab omni nos hujus
» criminis suscipione defendunt. Sed, o nefas! illi vero de
» te tanti criminis fidem capiunt, atque hoc ipso videbimur
» affines fuisse maleficio, quod tuis imbuti disciplinis,
» tuis instituti moribus sumus[1] ».

Hæc tam aperta probi viri atque innocentis confessio non sat convincere videtur D. Judicis[2]. Dolet enim Boetium hoc loco « æquivocatione » usum esse. Dolemus et nos de docti et eruditi viri præjudicata opinione. Quid profuisset Boetio ad maleficii crimen repellendum, diserta christianæ fidei confessio? Annon in christianos ipsos, etiam in summum pontificem Symmachum delatum fuit magiæ crimen? Boetio ergo, sanctissimo viro, simpliciter hanc turpissimam accusationem neganti, major fides ac quibuscumque rationibus et argumentis competit.

---

[1] *Consol.*, lib. I, pr. 4

[2] Accuser Boèce de magie, c'était l'accuser non-seulement de croire au paganisme, mais de le pratiquer. L'inculpation était claire, et Boèce ne pouvait s'y méprendre; mais il lui était impossible de la réfuter victorieusement (!!!), aussi essaie-t-il de s'en tirer par une équivoque.... Cette dénégation embarrassée équivaut, il faut bien le dire, à un aveu; et, après cela (!!!), il n'est guère permis de douter que Boèce n'ait été païen (*Introd.*, p. 36). Ergo ad Symmachum papam etiam deferat conclusionem ex accusatione magiæ, et fortiter asserat Judicis ipsum quoque papam *indubitanter* paganum fuisse.

Senatûs sententia in Boetium iniqua fuit[1]. Regis memores qui *dolum Romanis tendebat ac quærebat,* quique, *avidus communis exitii ad cunctum senatûs ordinem majestatis crimen transferre moliebatur,* in Boetium exilii sententiam tulerunt Patres. Hujus exilii locum *Agrum Calventianum* nominat anonymus Valesianus. Parum refert utrum sit ille ager Calventianus in territorio Mediolanensi prope pagum hodiernum Vizzolo vel Ladovecchio, ut tuetur Biraghius[2], an sit in urbe Ticinensi, ut defendere conatur Bosizio[3]. Exsul Boetius totam in seipsum a Cypriano inductam actionem, ne latere posteros queat veritas, *stilo* memoriæque mandavit. Cujus scripti injuria temporum intercepti, vestigium tamen superest in celebri illa tabula eburnea quæ hodiedum in civitate Monza asservatur[4]. Est autem illa tabula opus anaglypticum græco-romani artificis a sæculo sexto, in quo ad vivum et ad instar chartæ sic dictæ *photographicæ* imagines insculpuntur. In medio sedet vir brachio sinistro innixus, atque ægre sese e lectulo attollere visus. Dextra manu, infra denudatum pectus, plicatum volumen tenet, cui hæc verba inscribuntur : *in fide Jesu maneam.* Ad pedes a sinistro spectantis latere jacet aliud volumen cum his verbis : « M. A. S. Boetii, v. c. excons. patric.: volumen defensionis suæ contra Basilium. » Ex altera parte alius liber adest, hodierna quidem, sed non jam tunc temporis ignota forma, insculptus, hunc titulum præferens :

---

1 « Increpuisti, ait Philosophia, etiam vehementer injusti factum senatus. » (*Consol*,, lib. I, pr. 5.)

2 Boezio, filosofo, teologo, martire, Calvenzano Milanese di Luigi Biraghi, sac. Dott. della Bibli. Ambrosiana, Milano, Besozzi, 1865, cap XI, p. 36.

3 Memoria del can. Bosizio, sub cattolicismo di Anicio Manlio Torquato Severino Boezio, Pavia, Fusi, 1867.

4 Ambo supra dicti auctores accuratè de hoc monumento disserunt.

Malii Anicii Torquati Severini Boetii, v. c. op. Consolationis philosophiæ. — Hic est indubitanter Boetius noster, nondum quidem, in custodia positus, nec vinculis onustus, sed jam « in exilii solitudine[1] » « contum glaudiumque timens, » majora præsentiens mala. Hac imagine volumina descripta Boetii defensionem in judicio, Libros de philosophia atque opuscula theologica repræsentari nemo dubitat.

Anno 523, Hormisda summo pontifice defuncto, Sedem apostolicam obtinuit Joannes diaconus, dictus Joannes I, Boetio amicissimus. Jam inde ab anno 518 Constantinopoli res imperii administrabat Justinus. Summam imperii utilitatem ratus, unitatem religiosam atque concordiam cum Italia restituere, edictum publicaverat iste princeps contra dissidentes a fide catholica. Non quidem tyrannico more decernebat, sed leges ac decreta ab antecessoribus lata instaurare curabat. Maximum tamen in se Theodorici odium concitavit, cum e finibus imperii hæreticos omnes exterminari jussit, atque prohibuit ne deinceps magistratum gererent, neve sententiam in christianos aut episcopos dicerent[2]. In decreto anni 523 excipiebantur hac legum severitate, Gothi, quotquot erant *fœderati,* quique militiam vel munia publica exercere poterant. Anno autem 524, novum publicatum est edictum in quo jam nulla Gothorum fiebat exceptio; multo magis, hæreticorum tem-

---

[1] *Consol.,* lib. I, pr. 3. In hac exilii nostri solitudine delapsa venisti! Cf. lib. II, pr. 3 et 5.

[2] Manichæi undique expelluntur, et capite puniuntur. Reliqui autem hæretici (hæreticus est omnis non orthodoxus) et Græci (seu Pagani) et Judæi et Samaritæ prohibentur magistratum gerere, aut jus dicere, aut defensores, aut patres civitatum fieri ne habeant licentiam vexare aut judicare christianos aut episcopos... excipiuntur Gothi qui fiunt fœderati. (*Cod. Justin.*, lib. I, tit. V, lex. 12.)

pla in catholicas ecclesias consecranda decernebat princeps[1].

His Justini edictis, Theodoricus seipsum impetitum sensit, etenim arianæ confessioni addictus, ut Arianorum protector habebatur. Cum autem ex Orientis partibus quidam ex Arianis legati, contra imperatoris edicta auxilium implorarent, cumque, litteris ultro citroque redditis, nulla jam flectendi Justini principis spes affulgeret, comminatus est Theodoricus se adversus Orthodoxos in Italia eadam quæ in Oriente Justinus adversus Arianos facturum. Itaque catholicorum templa incendio delere, Romanisque arma quælibet, etiam cultellum interdicere cœpit[2]. Mox in proastio civitatis Veronensis, ad Fonticlos, oratorium S. Silvestri subverti jussit[3]. Tum, ut videtur, in custodiam datus est Boetius, ac Papiæ in vetustissima turri prope baptisterium inclusus.

Sed jam Anastasium bibliothecarium audiamus : « Theodoricus rex hæc audiens; nempe *ablatas ab Arianis in Oriente, jussu Justini imperatoris, ecclesias,* exarsit in iram et totam Italiam voluit gladio extinguere. Eodem tempore Joannes papa ægrotus, egressus, cum fletu ambulavit, pergens ad urbem Constantinopolim, et senatores cum eo, scilicet Theodorus, Importunus et Agapetus exconsules, et alius Agapetus patricius, accipientes hoc in mandatis legationum ab ipso rege, ut redderentur ecclesiæ hæreticis,

---

[1] Igitur sexto sui imperii anno absoluto adversus eos (hæreticos) minime excipiens Gothos, ut antea fecisse diximus, promulgato edicto, Arianos exagitavit universos... statuitque ut ubique eorum ecclesias catholica religione consecraret. (Baronius, ad annum 524, Juxta Paul. diac., *Hist. misc.*)

[2] Anonym. Vales.

[3] *Ibid.*

in partibus Orientis : quod si non faceret, totam Italiam gladio perderet[1]. »

Itaque non sponte, sed coacte ac impellente Theodorico, ejusmodi peregrinationem suscepit Joannes papa. Longe aliter autem ac speraverat Theodoricus res in Oriente gestæ sunt. Ne minimum quidem terrorem ex hac in venerandum Pontificem ac senatores illata violentia concepit Justinus; e contra adventantem Constantinopolim Christi vicarium magnifice in *Porta aurea* excepit, eum pronus in terram veneratus est, et in ecclesia, ovante populo, denuo ab ipso coronari et *Anicius* vocari voluit. Interea nec ipse catholicorum jura neglexit Joannes, et « quascumque illis in partibus Arianorum ecclesias reperire potuit, catholicas eas, Domino opem ferente, consecravit[2]. »

Tum perpendens Theodoricus novam imperatoris Justini consecrationem, Anicii cognomen impositum vel susceptum, suam jam provectam ætatem, Athalarici nepotis, nunc defuncto patre Eutharico, infantiam, Gothorum in Romanos infensum animum, ira incensus, de Boetii occisione sententiam tulit. Rediit igitur e Verona Ravennam, ait Anonymus, « tractans non ut Dei amicus, sed legi ejus inimicus, immemor factus omnis ejus beneficii et gratiæ quam ei dederat (Deus), confidens in brachio suo. »

In carcere jam inde a Joannis papæ legatione detinebatur Boetius, ab omnibus, Litteris tantum ac Relligione exceptis, derelictus. Boni et probi viri terrore perculsi torpebant. « Videre autem videor, ait Boetius, nefarias scele-

---

[1] *Hist. miscell.*, lib. XV.
[2] Epist. papæ Joannis ad episc. Ital., e carcere data, anno 526, apud Labbe.

ratorum officinas gaudio lætitiaque fluitantes, perditissimum quemque novis delationum fraudibus imminentem, jacere bonos, nostri discriminis terrore prostratos, flagitiosum quemque ad audiendum quidem facinus impunitate, ad efficiendum vero præmiis incitari, insontes autem, non modo securitate, verum ipsa etiam defensione privatos [1]. » Ergo imminente morte ultimam manum admovit huic elegantissimo operi cui titulus : *De consolatione philosophiæ,* jam inde a multis annis, mente pertractato [2]. Partes quidem apologeticas in carcere elaboratas quis dubitet? Theses vero, de mali existentia, de temporalium ac mutabilium bonorum vanitate, de fato, id est de divinæ Providentiæ regimine, de Dei æternitate, de pœnis ac præmiis alterius vitæ, hæc et alia permulta ad universam Boetii philosophiam spectantia in hunc conspirant a Boetio sibi jam antea propositum finem : « His peractis non contempserim *Aristotelis, Platonisque sententias, in unam quodammodo revocare concordiam et eos* in plerisque, quæ sunt in philosophia maxima, *consentire demonstrem.* Hæc si vita otiumque supererit, cum multa operis hujus utilitate, nec non etiam laude contenderim [3]. » Erat autem de Providentia doctrina continuis hujus temporis calamitatibus accommodatissima. Hanc igitur propugnabant contra ethnicorum, stoicorum, astrologorumque fatalismum Lactantius, Prudentius, Gregorius Nyssenus, Augustinus et Salvianus.

---

[1] *Consol.*, lib. I, pr. 4.

[2] *Consol.*, IV, pr. 1 : « .... Eaque mihi, etsi ob injuriæ dolorem nuper oblita non tamen ante hac prorsus ignorata dixisti.» Cf. *Ibid.*, lib. V, pr. 1 : « Sed quod tu dudum de providentia quæstionem pluribus aliis implicitam esse dixisti, re experior. »

[3] *Præf.* in lib. II de Arist. Interpret.

Contra Aristotelicos, ope dialecticæ, pro virili parte etiam propugnavit Boetius. An ex omni parte perfecte et sufficienter nodum solverit, dicetur postea. Nunc ad ultima, procedamus.

Cum ergo audiret ex nuntiis Theodoricus rex res suas in Oriente aliter ac speraverat succedere, sententiam in Boetium latam maturari jussit. Tunc, ait Anonymus, vocavit Eusebium, præfectum urbis Ticini, et inaudito Boetio, protulit sententiam. Quem Eusebium mox in *agrum Calventianum* ubi in custodia habebatur Boetius, misit Rex, et jussit Boetium occidere. « Qui accepta chorda, in fronte diutissime tortus, ita ut oculi ejus creparent, sic sub tormenta, ad ultimum cum fuste [1] occiditur [2]. »

Singula quæquæ ab Anonymo dicta a monumentis confirmantur. Erat enim Boetius in ditione urbis Ticinensis, in vetustissima turri inclusus, quæ usque ad annum ipsius ruinæ, 1584, *Turris Boetii* appellabatur [3]. Custodia erat prope baptisterium ecclesiæ cathedralis, quæ tunc sanctis Gervasio et Protasio dicata erat. Hæc habet *Liber Pontificalis* Veronensis ecclesiæ [4] de Boetii ac Symmachi morte : « Iratus rex Theodoricus, christianos voluit Italiæ perdere. Tenuit duos senatores Boetium et Symmachum, patricium, quos gladio interfecit et *abscondi præcepit* [5]. Quibus verbis

---

[1] Fustis nomen — hastam, securim, malteum, clavam et vaginatum gladium comprehendit. (Ducange, *Glossar. latin. med. ævi.*)

[2] Hæc de Boetii occisione refert Anonymus Vales., sub finem : « Rex vero vocavit Eusebium, præfectum urbis Ticini, et inaudito Boetio, protulit in eum sententiam. Quem mox in agro Calventiano ubi in custodia habebatur, misit rex, et fecit occidi. Qui accepta chorda, in fronte diutissime tortus, ita ut oculi ejus creparent, sic sub tormenta ad ultimum cum fuste occiditur. »

[3] Memoria del can. Bosizio hanc turrim delineatam continet.

[4] Migne, tom. CXXVIII, col. 1116.

[5] Migne, t. CXXVIII, col. 1116, Catal. Rom. pontif. e cod. capit., Veron.

satis elucet regem hos viros præclarissimos pro sancta religione occidisse, diligenterque curasse de eorum reliquiis, ac, ne religiosum et pium cultum acciperent, eorum corpora abscondi jussisse.

Ita ergo e vita excessit Boetius constanter et fortiter, cum sapientis constantia et fortitudine martyris, postquam Ecclesiæ catholicæ ac patriæ fideliter inservisset, pauperum amicus, oppressorum defensor acerrimus, vir omni doctrina excultus, orator, poeta, philosophus, nec non theologus, senator, consul ac demum Christianæ fidei martyr [1] in-

---

[1] Innumera de Boetio martyre adsunt testimonia quæ fusius recollegit Bosizio (*Memoria* intorno al luogo del supplizio di S. Boetio con un appendice intorno alla di lui santita, Pavia, 1855). Hæc pauca tantum de acervo : « Theodoricus rex hæreticus, tenuit duos senatores præclaros et exconsules, Symmachum et Boetium, et occidit, interficiens gladio. » (*Liber Pontifical.*, Migne, t. CXXVIII, col. 515.) De SS. Severini Boetii et Joannis papæ ac Symmachi patricii morte atque cultu narrant Acta Sanctorum (t. XIX, Parisiis et Romæ, Victor Palmé, 1866). Hæc desumimus ex *Novis Bollandistis,* quorum ars critica ubique fidem facit. « Die 23ª octobris, S. Boetii seu Severini memoria hodie celebratur in martyrologio Maurolyci, in martyrologio Germanico Walasseri, dicto Canisii, in Wionis *Ligno vitæ*, in Catalogo generali Ferraris, in ejusdem sanctorum Italiæ Catalogo, atque etiam in Hagiologio italico, quod inde desumptum est. Quin etiam in martyrologio Usuardi, ineunte sæculo XVI, anglico idiomate cum auctariis Londini edito, S. Boetii laudes hac die referuntur. Est autem ille Anicius Manlius Torquatus Severinus Boetius, consularis et egregius philosophus..... cujus etiamnum reliquiæ illic (in ecclesia Papiensi seu Ticinensi) coluntur, nuper de singularibus aliquot ejus rebus diligenter scripsit R. D. Bosizius, capituli Papiensis præpositus et templi cathedralis parochus..... Feliciter demonstravit Bosizius vere catholicum fuisse Boetium, nequaquam rebellem dici posse, et jure merito martyrem haberi a præstantissimis scriptoribus eoque titulo ecclesiasticis honoribus coli. (*Acta Sanct.* supplem., Bruxellis, 1861, t. X.) »

Audiamus tandem R. R. ac doctissimum episcopum qui hodiedum Papiensem regit Ecclesiam :

« L'Eglise de Pavie récite *ab immemorabili tempore*, l'office de saint Sévérin Boèce, le jour anniversaire de son martyre, 23 octobre. Tout l'office et la messe sont du commun d'un martyr.

» Je vous encourage, Monsieur, à poursuivre une œuvre belle comme la vérité et bonne comme le culte des saints. Et en vous souhaitant toutes les bénédictions, etc.

† Lucidus M., évêque.

Pavie, 10 mai 1876.

clytus, cujus memoria in benedictione est, et quotannis in ecclesia Papiensi die 23ª octobris recolitur.

Anno sequenti (525), socer Boetii, Symmachus, mense Augusto, gladio occisus fuit. Papa Joannes I autem, cum ab Oriente comitantibus senatoribus legatis rediret, in carcerem conjectus est, ubi mœrore et inedia consumptus, e vita cessit. Ex eo tempore quo Symmachum, Boetium ac S. Joannem papam interfecit Theodoricus, in summum animi mœrorem incidit, ita ut oblatos in mensa pisces imaginaretur interfectorum capita esse[1]. Tandem vero 90ª die a morte Joannis papæ subito vita cessit, die 30ª Augusti anni 526. Paulo post Amalasuntha quæ ipsi in regnum successit, justitiam clementiamque in uxorem ac filios Boetii exercere cupiens, ipsis bona recuperanda dedit[2]. Cum autem Totilas victor, anno 547, Romam intrâsset, ac Rusticiana, Boetii uxor, impeteretur, ut quæ Theodorici statuas everterat, eam salvam et incolumen servari jussit[3]. De filiis Boetii prorsus silet historia, manet autem æternumque manebit patris nomen, quia *in memoria æterna erit justus*[4]. Monumentum enim exegit ære perennius, quod diruere nec poterit innumerabilis annorum series, nec fuga temporum.

---

[1] Procop., *De Bell. Goth.*, lib. I, c. I.

[2] Cassiod., *Var.*, lib. VIII, ep. I, « claudantur odia cum sepultis... » — Procop., *De Bell. Goth.*, lib. I, c. II.

[3] Procop., *De Bell. Goth.*, lib. III, c. XX.

[4] Divulgatur apud Peiperum hoc Boetii a Symmacho exaratum epitaphium :

Fortunæ et virtutis opus, Severine Boeti,
E patria pulsus, non tua per scelera.
Tandem ignotus habes qui te colat, ut tua virtus
Ut tua fortuna promeruitque sophos.
Post obitum dant fata locum, post fata superstes
Uxoris propriæ, te quoque fama colit.

SECUNDA PARS

DE BOETIO PHILOSOPHO

Christianum philosophum definimus eum qui rationis humanæ jura, usum et finem ita pertractat, ut justa scientiæ servetur libertas, sed etiam certi fines constituantur. Exstant enim vera et inconcussa philosophicæ disciplinæ jura, principia et methodus quæ a principiis, methodo et fine theologiæ distincta manent; cuilibet autem paulo attentius mentis humanæ naturam consideranti luce clarius apparet rationem nostram certis limitibus contineri, id est finitam esse et primi intellectus jura sarta tectaque prorsus remanere. Vera igitur sanaque philosophia Deum ut supremum Dominum rationis simul et revelationis auctorem agnoscere non dubitat, ut ab omni erroris periculo securius et facilius liberetur, atque in suis investigationibus benignius adjuvetur.

Hanc profecto nobilissimam veræ sapientiæ formam ardenter adamavit excoluitque Boetius, dum supradictum rationis humanæ fontem, usum ac finem professus est et in suis scriptis demonstravit; dum nulla unquam fidei christianæ adversantia placita scienter ac pertenaciter retinuit; dum contra permultas cum fide christiana aptissime cohærentes veritates, diligenter, luculenter, et *domesticis*, ut

ipse ait, *probationibus* propugnavit. Hæc ut manifesta fiant, nobis in animo est perpauca de Boetianæ philosophiæ principiis delibare, circa facultates animæ et rerum cognitionem acquirendam ; circa universalia, circa objectum metaphysicæ et doctrinam de causis, de Deo, de divina Providentia et ultimo hominis fine.

Hæc præcipue disputata sint contra Nitzschium qui hæc duo diserte asserit : Boetium non esse philosophum *ex professo* christianum; ejus doctrinam nullo pacto cum fide christiana conciliari posse [1].

Primo ergo de Boetianæ philosophiæ principiis breviter tractandum.

CAPUT PRIMUM.

DE BOETIANÆ PHILOSOPHIÆ PRINCIPIIS.

Omnium hominum animis inesse flagrantem veri investigandi amorem diserte asserit Boetius [2]. Hunc autem scientiæ appetitum, licet in præsenti mortalique conditione multis de causis attenuatum optimum quemque fovere et

---

[1] Hæc tria asserit Nitzschius de Boetio : 1° In ethnica philosophia, Boetii doctrinam radicari ; 2° Boetium non esse philosophum vere et ex professo christianum ; 3° Ejus doctrinam nullo pacto cum fide christiana conciliari posse (*Das system des Boethius*, Berlin, 1860, p. 174.)

[2] Sed cur (mens) tanto flagrat amore
Veri tectas reperire notas ?
Scitne quod appetit anxia noscc ?
Sed quis nota scire laborat ?
At si nescit, quid cæca petit ?
(*Consol.* V, mt. 3).

excolere decet, sive ad inscitiæ malum depellendum, sive ut vera scientiæ acquirendæ via investiganti pateat.

« Animis omnium inest ratio[1], inest etiam volendi,
» nolendique libertas. Hæc sensibilium usum species
» transcendit, ac simplicem illam formam quæ singula-
» ribus inest universali consideratione perpendit[2], ac uno,
» ut ita dicam ictu, cuncta prospicit[3]. Ad genus huma-
» num pertinet ratio (nam homo est animal bipes ratio-
» nale); quæ non modo suapte natura proprium, sed
» etiam cæterarum notitiarum subjecta cognoscit[4]. »

Unde autem oriatur humanæ rationis lumen, nisi ab eo qui

Quæ sint, quæ fuerint, veniantque
Uno mentis cernit in ictu :
Quem quia respicit omnia solus,
Verum possis dicere *solem*[5]?

Hunc totius boni fontem, veri luminis splendorem, beatitudinis finem invocat Boetius hac magnifica ac vere philophica prece :

Da, Pater, augustam menti conscendere sedem,
Da fontem lustrare boni, da luce reperta,
In Te conspicuos animi defigere visus,
Tu requies tranquilla piis, Te cernere finis,
Principium, Vector, Dux, Semita, Terminus idem[6].

---

1 *Consol.*, lib. V, pr. 2.
2 *Ibid.*, pr. 4.
3 *Ibid.*, pr. 5.
4 *Ibid.*, pr. 4.
5 *Ibid.*, met. 2.
6 *Consol.*, lib. III, met. 9.

Nunc quidem « eheu! miseros tramite devios abducit ignorantia [1]. » Nunc « mens cæcis obruta membris, nequit oppressi luminis igne, rerum tenues noscere nexus [2], » « non tamen in totum est oblita suî, nam neque novit neque nescit omnia. »

Sed quam retinens meminit summam,
Consulit alte visa retractans,
Ut servatis queat oblitas
Addere partes.

Eximia enim et altissima primus a Deo conditus homo inclarescebat scientia. Magnam autem mentis pertubationem passus est, et inde maxima inveniendæ veritatis difficultas oritur.

Heu quam præcipiti mersa profundo
Mens hebet, et propria luce relicta,
Tendit in externas ire tenebras,
Terrenis quotiens flatibus aucta,
Crescit in immensum noxia cura.
Hic quondam cœlo liber aperto,
Suetus in ætherios ire meatus,
Cernebat rosei lumina solis,
Visebat gelidæ sidera lunæ
Et quæcumque vagos stella recursus
Exercet varios flexa per orbes,
Comprensam numeris victor habebat.
. . . .

[1] *Consol.*, lib. III, met. 8.
[2] *Consol.*, lib. V, met. 3.

Nunc jacet effœto lumine mentis
Et pressus gravibus colla catenis
Declivemque gerens pondere vultum
Cogitur heu ! stolidam cernere terram [1].

En nativa hominis ignorantia et externarum rerum appetitus.

Quisquis ergo cupit « nullis deviis falli, » et « investigare verum mente profunda, « revolvat in se lucem visus interni, ac doceat animum reflectere in seipsum motus cogitationum, ut possideat in suis thesauris quidquid extra se investigare molitur[2]. » Hujus finis assequendi necessaria conditio est ut mens a nubibus, scilicet a variis animi perturbationibus, frænorum ac vinculorum ope liberetur.

« Tu quoque si vis — lumine claro — cernere verum — tramite recto carpere callem : — Gaudia pelle, — Pelle timorem, — spemque fugato ne dolor adsit[3]. » « Tergamus ergo paulisper lumina mortalium rerum nube caligantia[4], » et « invocemus rerum omnium Patrem[5], » ut menti addantur volucres pennæ, quibus celsum conscendat polum, ac terras despiciat[6]. Est enim philosophia tantum « prævia luminis veri[7] ; » non est quidem « via » qua homines revertantur in patriam, sed *præparat viam.* Suo enim « ductu, » sua « semita, » suis « vehiculis[8], » vitandus ac

[1] *Consol.*, lib. VII, met. 2.
[2] *Consol.*, lib. III, met. 11.
[3] *Consol.*, lib. I, met. 7.
[4] *Consol.*, lib. I, pr. 2.
[5] *Consol.*, lib. III, pr. 8.
[6] *Consol.*, lib. IV, met. 1.
[7] *Consol.*, lib. IV, pr. 1.
[8] *Consol.*, lib. IV, pr. 1.

spernendus est error qui nullo duce regitur, sed temere ac passim lymphans raptatur[1]. Habet enim philosophia « suam Ducem[2], » quæ « copias suas » in « arcem » contrahit. Dum improborum exercitus valentior inutiles diripit sarcinulas, nos in *arce,* nempe *cum Duce nostra* collocati, « desuper inridemus vilissima rerum quæquæ rapientes, *securi* totius furiosi tumultus, eoque vallo muniti quo grassanti stultitiæ adspirare fas non sit[3]. »

Quæ et qualis sit illa « patria, » ad quam reverti cupiunt homines, nunc quidem « miseri exsulesque, » repetitis vicibus explicat Boetius. Ipsam enim vocat « regnum[4] » evangelico vocabulo usus, et « domum » ad quam necesse est « sese in altum attollere[5], » et « patriam, quam sospes revisere[6] » optat, et demum ut Augustinus ipse « civitatem[7] » a qua, non quidem pulsus est Boetius, sed, sicut cæteri, « aberravit. » Totum hunc locum exscribere liceat, qui, nostra quidem sententia, vel nullum, vel christianum tantum sensum involvit, et est nostræ totius disquisitionis decretorium ac firmissimum argumentum.

« Cum te, inquit Philosophia, mœstum lacrymantemque » vidissem, illico miserum exulemque cognovi. Sed quam » id longinquum esset exilium, nisi tua prodidisset oratio

---

1 *Consol.*, lib. I, pr. 3.
2 *Ibid.*
3 « Verum illa rectissima disciplina est, *in arcem fidei* quam maxime recipi infirmos, ut pro eis jam *tutissime* positis fortissima ratione pugnetur (S. August., *Epist. ad Dioscor.* 118, n° 33). »
4 *Consol.*, lib. IV, pr. 1.
5 *Ibid.* Cf. *Ephes.*, IV, 8. Ascendens Christus in altum.....
6 *Consol.*, lib. III, pr. 12.
Consol., lib. I, pr. 5.

» nesciebam[1]. Sed tu quam procul a patria, non quidem
» pulsus es, sed aberrâsti, ac si te pulsum existimari
» mavis, te potius ipse pepulisti. Nam id quidem de te
» numquam cuiquam fas fuisset. Si enim cujus oriundo
» sis patriæ reminiscare, non uti Atheniensium quondam
» multitudinis imperio regitur, sed εἷς κοίρανος ἔστιν εἷς Βασιλεὺς,
» qui frequentia civium non depulsione lætetur : cujus agi
» frænis, atque obtemperare justitiæ summa libertas est.
» An ignoras illam tuæ civitatis antiquissimam legem, qua
» sancitum est ei jus exsulare non esse, quisquis in ea sedem
» fundare maluerit? Nam qui vallo ejus ac munimine
» continetur, nullus metus est, ne exsul esse mereatur.
» At quisquis eam inhabitare velle desierit, pariter desinit
» esse mereri[2]. »

Quisquis absque præjudicata opinione hunc locum perlegerit, non dubitabit accipere Boetium hic ad primam hominis conditionem alludere, scilicet ad statum primi hominis ante peccatum, de quo disserit, in *Libro contra Eutychen et Nestorium*, cap. VIII. Prima quidem prævaricatio libere admissa est; primus homo a Paradiso aberravit ac seipsum pepulit. Hujus patriæ regimen non fuit Atheniensium democratia, sed monarchia. Rex ille de quo loquitur Boetius frequentia civium non depulsione lætatur; vult enim Deus « Omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem

---

[1] De hoc *exsilio* ipse disserit Boetius, *de fide catholica :* « Primus itaque homo, ante peccatum, cum sua conjuge incola paradisi fuit. At ubi aurem præbuit tentatori, et conditoris præceptum neglexit attendere, *exsul effectus*, terram jussus est excolere, atque a paradisi fine seclusus, in ignotis partibus, sui generis posteritatem transposuit, atque pœnam quam ipse primus homo prævaricationis reus exceperat, generando transmisit in posteros. »

[2] *Consol.*, lib. I, pr. 5.

veritatis venire[1]. » Singulis hominibus quasi fræna dedit, cum præcepta morum ac justitiæ legem mentibus insculpsit, cui obtemperare summa libertas est. Nam « qui facit peccatum, servus est peccati[2]. » Certum est etiam hominem numquam ex hac cœlesti patria exulasse, nisi mala sua voluntate hanc exsilii pœnam ipse sibi irrogavisset. Hæc est illius supernæ civitatis antiquissima lex. Hæc lex etiam viget in Ecclesia sancta Dei quæ huic supernæ conjungitur, et in qua « vallo et munimine, » ut ita dicam, continemur per ecclesiasticam disciplinam et cætera christianæ fidei sacramenta. « Fides autem bonæ voluntatis et justæ actionis est genitrix[3], » ideo quisquis hanc civitatem inhabitare velle desierit, desinit sua mala voluntate hanc sedem mereri.

Tenuit igitur Boetius hanc sententiam mentis humanæ aciem in præsenti hominum conditione obtusam esse[4], ac fidei christianæ auxilio hominem indigere ut ad patriam et ad beatitudinis sedem sibi reverti liceat.

Mens humana nosse appetit, ergo conscia est se multa ignorare. Is enim solus appetit scire qui ignorat. Ignara autem, sed non omnino, incipit inquisitionem veri, consulit alte revisa retractans[5].

Ut servatis queat oblitas
Addere partes.

---

[1] *I Tim.*, II, 4.
[2] Joan., VIII, 34.
[3] *De vocat. gent. int. op. D. Aug.*, I, 8.
[4] D. Augustin. *Soliloq.*, lib. I, c. VI. « Oculi sani mens est ab omni labe corporis pura, id est a cupiditatibus rerum mortalium jam remota atque purgata : quod ei nihil aliud præstat quam Fides primo. »
[5] Alludit evidenter Boetius ad primum hominis peccatum, libere quidem admissum, quo a paradiso *aberravit*, ac seipsum pepulit.

His et similibus verbis adstruitur a Nitzschio, nec non a Judicis de Mirandol crimen contra Boetium circa doctrinam de *præexistentia animorum*[1]. Ante omnia liceat nobis in medium afferre quænam fuerit de hac difficili quæstione S. Augustini doctrina. Primo quidem diserte docuit animorum præexistentiam his duobus locis : « Tales sunt qui bene disciplinis liberalibus eruditi : siquidem illas sine dubio in se oblivione obrutas eruunt discendo et quodammodo refodiunt[2]. » « Magnam omnino, et qua nescio utrum quidquam majus sit, quæstionem moves, in qua tantum nostræ sibimet opiniones adversantur, ut tibi *anima* nullam, mihi contra *omnes artes secum attulisse videatur, nec aliud quidquam esse id quod dicitur discere, quam reminisci et recordari*[3]. » Ex his concludendum doctrinam de præexistentia animarum, tempore S. Augustini, nondum ut fidei christianæ oppositam habitam fuisse. Ipse vero Augustinus hæc duo loca supra memorata ita retractat : « Sed hoc quoque improbo : credibilius est enim, propterea vera respondere de quibusdam disciplinis, etiam imperitos earum, quando bene interrogantur, quia præsens est eis, quantum id capere possunt lumen rationis æternæ, ubi hæc immutabilia vera conspiciunt ; non quia ea noverant aliquando, et obliti sunt, quod Platoni, vel talibus visum est[4]. » Ne autem ad ontologistarum errorem deducantur ista Augustini verba de *præsentia in nobis luminis rationis*

---

[1] « On le voit, c'est la doctrine de la réminiscence, que Platon avait empruntée à Pythagore, et qui en dernière analyse, a donné naissance au mystycisme de l'école d'Alexandrie. (Judicis de Mirandol, *Introd.*, p. LII.) »

[2] *Soliloq.*, lib. II, XX, nº 35.

[3] *De Quantit. anim.*, c. XX.

[4] *Retract.*, lib. I, c. IV, nº 4.

æternæ, præcavet D. Thomas dum luculenter dicit : « Cum ipsa intellectiva virtus creaturæ *non sit Dei essentia,* relinquitur quod sit aliqua *participativa similitudo* ipsius, qui est primus intellectus. Unde et virtus intellectualis creaturæ *lumen quoddam intelligibile* dicitur, quasi *a prima luce derivatum,* sive hoc intelligatur de virtute naturali, sive de aliqua perfectione superaddita gratiæ vel gloriæ[1]. » « Inest (ergo) unicuique homini quoddam principium scientiæ, scilicet lumen intellectus agentis, per quod cognoscuntur *statim a principio naturaliter* quædam universalia principia omnium scientiarum[2]. » Quiescunt enim ac quodammodo sopiti manent actus virtutum ac potentiarum animæ in eorum habitibus[3]. Hæc sunt, juxta divum Thomam « quædam inchoationes virtutum, » ac « quædam scientiarum semina[4]. » Quod Boetii doctrina huic consonet nullas inficias ibit, qui alia permulta Boetii loca inter se conferet. Itaque de Præexistentia animarum doctrinam, rationibus minime fidei christianæ adversantibus, admisit, ut enodentur duæ imprimis difficillimæ quæstiones : nempe,

---

[1] I p. qu. XII, a. 2.

[2] I p. qu. CXVII, a. 1.

[3] « Quia (anima) non semper est actu intelligens, ut patet in dormiente, ideo oportet dicere quod actus, etsi non semper maneant in seipsis, manent tamen semper in suis principiis, scilicet potentiis et habitibus (I p qu. XCIII, a. 7.) »

[4] Virtutum habitus ante earum consummationem præexistunt in nobis, in quibusdam naturalibus inclinationibus, quæ sunt quædam virtutum inchoationes sed postea per exercitium operum adducuntur in debitam consummationem. Similiter etiam dicendum est de scientiæ acquisitione, quod præexistunt in nobis quædam scientiarum semina, scilicet primæ conceptiones intellectus, quæ statim lumine intellectus agentis cognoscuntur per species a sensibilibus abstractas, sive sint complexa, ut dignitates, sive incomplexa, ut ratio *entis* et unius, et hujusmodi, quæ statim intellectus apprehendit. In istis autem principiis universalibus omnia principia includuntur, sicut in quibusdam rationibus seminalibus (*De verit.*, qu. XI, a. 1).

origo intellectualium conceptionum, ac peccati originalis ad omnes homines propagatio. Hæc enim duo apud Augustinum inveniuntur sicut et apud Boetium. Errorum autem ab Ecclesia contra Origenistas damnatorum, ne minimum quidem apud Boetium invenitur vestigium, animas scilicet pœnaliter, ac tanquam in ergastula quædam in hominum corpora detrusas esse[1], ac post certam annorum seriem, propter purgationem, novam instaurare vitam, alternantibus beatitudinis ac miseriæ vicibus[2]. Hæc enim Pythagoreorum ac Origenistarum deliramenta merito Ecclesia damnavit in concilio œcumenico V[3], Constantinopolitano II, anno 553, triginta fere annis post defunctum Boetium. Repetitis vicibus invehitur D. Augustinus contra hanc Manichæorum doctrinam revolutionis animarum, vel hominum in bestias, vel in homines bestiarum[4]; quam quidem in sensu allegorico seu symbolico admisit Boetius, ut ex sequentibus elucet :

« Evenit igitur, ut quem transformatum vitiis videas,

---

[1] Sed animas dicunt, non quidem partes Dei, sed factas a Deo, peccasse a conditore recedendo; et diversis progressibus, pro diversitate peccatorum, a cœlis usque ad terras, diversa corpora quasi vincula, meruisse; et hunc esse mundum, eamque causam mundi fuisse faciendi, non ut conderentur bona, sed ut mala cohiberentur. Hinc Origenes jure culpatur (*De civit. Dei*, lib. XI, 23).

[2] Per nescio quos fieri circumitus, ut aiunt isti, ut post nescio quanta volumina sæculorum iterum ad istam sarcinam corruptibilis carnis et supplicia pendenda redeundum sit. Qua opinione quid horribilius cogitari possit, ignoro (Aug., *Epist. 166 ad Hieron.*, c. IX, nº 27).

[3] « Si quis dicit aut sentit præexistere hominum animas, utpote cur antea mentes fuerint, et sanctæ virtutes, satietatemque cepisse divinæ contemplationis et in deterius conversas esse, atque idcirco refrixisse a Dei caritate, et inde ψυχάς, Græce, id est animas esse nuncupatas, demissasque esse in corpora supplicii causa, anathema sit (*Sacra Concilia*, apud Lab. de V Concil.). »

[4] Aug., *de Gen.*, *ad Litt.*, VII, 10, n. 15. — « Ne putetis, sicut impii quidam dicunt, revolvi animas humanas ad pecora, ad canes, ad porcos, ad corvos. Hoc a cordibus vestris excludite, et a fide vestra. Anima humana facta est ad imaginem Dei, non dabit imaginem suam cani et porco (*Enarr.*, *in Ps.*, 146, n. 18.) »

» hominem æstimare non possis. Avaritia fervet alienarum » opum violentus ereptor? Lupi similem dixeris. Ferox » atque inquies linguam litigiis exercet? Cani comparabis. » Insidiator occultis subripuisse fraudibus gaudet? Vulpe- » culis exæquetur. Iræ intemperans fremit? Leonis animum » gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda for- » midat? Cervis similis habeatur. Segnis ac stupidus » torpet? Asinum vivit. Levis atque inconstans studia » permutat? Nihil ab avibus differt. Fœdis immundisque » libidinibus immergitur? Sordidæ suis voluptate detinetur. » Ita fit ut qui, probitate deserta, homo esse desierit, » quum in divinam conditionem transire non possit, ver- » tatur in belluam[1]. » Hæc quantum distent a Pythagoreorum ac Manichæorum deliramentis nemo non videt. Absolvitur ergo Boetius ab errore quem ipsi imponunt de præexistentia animarum[2].

---

[1] *Consol.*, lib. IV, pr. 3.

[2] Utrum Boetii philosophia, ut placet Nitzschio, *ethnicæ philosophiæ radicetur*, parum curamus, nam ethnica philosophia, *non quidem ut ethnica* a christianis refellitur, *sed ut erronea in quibusdam.* Quod autem Alexandrinorum, et speciatim Procli, errores devitaverit Boetius per se patet. Constat enim hæc Procli philosophia : 1° Pantheismo dualistico ; 2° Triadum arbitraria productione ; 3° Exstasi, propriæ scilicet et individuæ rationalis existentiæ negatione ; 4° Adde, quod miserrimis contradictionibus laborat, dum, ex una parte, Deum immobilem, indivisibilem et imparticipabilem prædicat ; ex altera parte, essentialiter per totum mundum diffusum, via scilicet *emanationis ;* dum divinæ Providentiæ fatalimus in ipsa Dei essentia substituitur ; dum nullum jam existit malum eo quod omnia necessaria lege producuntur..., etc., etc. (Cf. Jules Simon, *Hist. de l'Ecole d'Alex.*, Paris, 1845, t. II, p. 481, 561, 562, 570, 573 et 517. *Hellenismus und Christenthum*, auctore Kellner, Coloniæ, 1866; *Hist. ph. græc. et rom. ex fontium locis contexta*, collegerunt Ritter et Preller, 1857. Gothæ, 2a edit., p. 633 et seq.).

CAPUT SECUNDUM.

DE ANIMÆ FACULTATIBUS ET DE COGNITIONE RERUM ACQUIRENDA, JUXTA BOETIUM.

« Est philosophia amor et studium et amicitia quodam-
» modo sapientiæ; sapientiæ non hujus quæ in artibus
» quibusdam, et in aliqua fabrili scientia notitiaque ver-
» satur, sed illius sapientiæ quæ nullius indigens, vivax
» mens et sola rerum primæva ratio est. Est autem hic
» amor sapientiæ intelligentis animi ab illa pura sapientia
» illuminatio et quodammodo ad seipsam retractatio et
» advocatio ut videatur studium æque sapientiæ studium
» divinitatis et puræ mentis illius amicitia[1]. »

Hac philosophiæ definitione posita, hujus scientiæ materiam ita partitur Boetius : « Hinc nascitur speculationum
» cogitationumque veritas, et sancta puraque actuum
» castimonia.... Species enim (philosophiæ) duæ sunt :
» una quæ θεωρητική dicitur, altera quæ πρακτική, id est *specu-*
» *lativa* et *activa*. Est igitur θεωρητικῆς, id est contemplativæ
» vel speculativæ triplex diversitas : pars una est de intel-
» lectibilibus, quam partem Græci θεολογίαν nominant. Est
» enim intellectibile quod unum atque idem per se in
» propria semper divinitate consistens, nullis unquam
» sensibus, sed sola tantum mente intellectuque capitur.
» Quæ res ad speculationem Dei, atque ad animi incorpo-

[1] *In Porphyr. a Vict. translat. Dial.* I. Migne, t. LXIV, col. 10.

» ralitatem, considerationemque veræ philosophiæ indaga-
» tione componitur. — Alias de intelligibilibus ea compre-
» hendit quæ sunt omnium cœlestium supernæ divinitati
» operum causæ, et quidquid sub lunari globo beatiore
» animo atque puriore substantia valet; postremo huma-
» narum animarum conditionem atque statum... Merito
» (hæc pars) in medio collocata est, quod habeat et cor-
» porum animationem et quodammodo vivificationem, et
» intellectibilium considerationem, cognitionemque, ut
» dictum est. — Tertia pars θεωρητικῆς est quæ circa cor-
» pora atque eorum scientiam, cognitionemque versatur.
» — Practicæ vero philosophiæ est quoque triplex divisio.
» Est enim prima quæ sui curam gerens, cunctis sese
» erigit, exornat, augetque virtutibus.— Secunda vero est
» quæ reipublicæ curam suscipiens, cunctorum saluti suæ
» providentiæ solertia, et justitiæ libra, et fortitudinis
» stabilitate, et temperantiæ patientia medetur. Tertia
» vero quæ rei familiaris officium mediocri componens
» dispositione distribuitur [1]. »

« Quoniam humanis animis exellentissimum bonum
» philosophiæ comparatum est, ut viæ ex filo quodam
» procedat ratio, ex animæ ipsius efficientiis ordiendum
» est [2]. »

---

[1] *Loco citato*, Migne, t. LXIV, col. 11 et 12. — Hæc quam sapienter dicta, et arctissime cum doctrina scholasticorum connexa nemo non videt. Hanc scientiæ speculativæ partitionem iterum tradit Boetius, *de Trinitate*, c. II, Cum tres sint speculativæ partes, « *naturalis*... » quæ considerat corporum formas cum materia et motu. — « *Mathematica*, » quæ speculatur formas corporum sine materia ac per hoc sine motu...., « *theologica*, » quæ considerat Dei substantiam separatam ab omni materia et motu. — Quoad scientiæ practicæ divisionem notetur tantum hanc etiam ad omnes scholasticos ex Aristotele per Boetium dimanasse.

[2] *In Porphyr. a se translat.*, lib. I, Migne, t. LXIV, col. 71.

Tum varias animæ potentias ita partitur Boetius :

« Triplex omnino animæ vis in vegetandis corporibus » deprehenditur. Quarum una quidem vitam corporis » subministrat, ut nascendo crescat, alendoque subsistat. » Alia vero sentiendi judicium præbet. Tertia vi mentis et » ratione subnixa est. »

Hanc partitionem observaverunt scholastici omnes, dum potentias vegetativas, sensitivas et intellectivas in anima humana posuerunt.

Vegetativæ partis « officium est ut creandis, nutriendis, » alendisque corporibus præsto sit, nullum vero præstet » rationis sensusve judicium. Hæc autem est herbarum » atque arborum et quidquid terræ radicitus affixum » tenetur[1]. »

Hæc de sensitiva parte diligentissime disserit Boetius : « Secunda vero composita atque conjuncta est, et primam » sibi sumens et in partem constituens, varium ac multi- » forme judicium capit, de quibus capere potest. Omne » enim animal quod sensus vigit, idem et nascitur, et » nutritur et alitur. *Sensus* vero diversi sunt, et usque ad » quinarium numerum tendunt. »

Quæ de sensitiva cognitione asserit Boetius ad exactissimam veritatis normam dicta sunt, ideo a tota Schola repetita hodiedum usque contra Cartesianos valent. Certum est enim inesse in animantibus primum principium motus, animam scilicet, quæ per sensus varias acquirit cognitiones rerum. Hæ autem diversæ cognitiones singulis animantibus sunt principia determinativa actionis et motus. Inest etiam

---

[1] *In Porphyr. a se translat.*, lib. I. Migne, t. LXIV, col. 71.

animantibus alia potentia, *imaginatio* scilicet, quæ format imagines rerum, etiam absentibus corporibus sensibilibus, quibus feritur quodam modo. Inest et *memoria*, quæ custodit longius, breviusve, prout quodque animal valet, has imagines.

« Sed eas imaginationes confusas, ait Boetius, atque » inevidentes sic sumunt, ut nihil ex earum conjunctione » ac compositione efficere possint. Atque idcirco meminisse quidem possunt, nec æque omnia. Amissa vero » oblivione, memoria recolligere ac revocare non possunt. » Futuri vero his nulla cognitio est[1]. » Hæc perlegant ac meditentur Darwinianæ hypothesis asseclæ. Inter brutum et hominem non intercedit tantum *evolutionis*, sed naturæ ac essentiæ discrimen, quod in *ratione* consistit.

« Animæ vis tertia, quæ secum priores alendi ac sen- » tiendi vires trahit, hisque velut famulis atque obedien- » tibus utitur, eadem tota in ratione constituta est, eaque » vel in rerum præsentium firmissima contemplatione, vel » in absentium intelligentia, vel in ignotarum inquisitione » versatur. Hæc tantum humano generi præsto est[2]. »

Summum autem rationis cacumen est *intelligentia ;* » quæ quasi desuper spectans, concepta forma quæ subsunt » etiam cuncta dijudicat; sed eo modo quo formam ipsam, » quæ nulli alii nota esse poterat comprehendit. Nam et » rationis universum, et imaginationis figuram, et mate- » riale sensibile cognoscit, nec ratione utens, nec imagi- » natione, nec sensibus, sed illo uno ictu, mentis forma- » liter, ut ita dicam, cuncta propiciens[3]. » « Ratio vero

---

1 *In Porphyr. a se translat.*, Migne, t. LXIV, col. 71.
2 *Ibid.*
3 *Consol.*, lib. V, pr. 4.

» hanc quoque transcendit, speciemque ipsam quæ singu-
» laribus inest, universali consideratione perpendit. Intel-
» ligentiæ vero celsior oculus existit. Supergressa namque
» universitatis ambitum, ipsam illam simplicem formam
» pura mentis acie contuetur[1]. »

Non sequitur inde intelligentiam et rationem inter se realiter differre. Intelligere, id est prima intelligibilium principia ac primas intelligibiles conceptiones efformare, non essentialiter differt ab hoc discursu rationis ad inquirendam veritatem necessario[2]. Nam homo est speciatim animal *rationale,* ac sine hoc rationis discursu sterilia et infecunda prorsus essent principia ac dignitates quæ ab intellectu concipiuntur.

« In quo illud maxime considerandum est quod supe-
» rior comprehendendi vis amplectitur inferiorem : inferior
» vero ad superiorem nullo modo consurgit[3]. »

Hæ sunt animæ nostræ potentiæ, is inter potentias naturalis ordo.

« In corporibus sentiendis objectæ qualitates instru-
» menta sensuum forinsecus afficiunt, animique agentis
» vigorem passio corporis antecedit[4]. »

Hæc est prima sensitivæ cognitionis conditio et lex, actio scilicet objectæ rei in organum sensus; hujusmodi autem

---

[1] *Consolat.*, lib. V, pr. 4.

[2] *Ibid.* — Hæc D. Thomas : « Respondeo dicendum quod ratio et intellectus in homine non possunt esse diversæ potentiæ : quod manifeste cognoscitur si utriusque actus consideretur. Intelligere enim est simpliciter veritatem intelligibilem apprehendere, ratiocinari autem est procedere de uno intellecto ad aliud ad veritatem intelligibilem cognoscendam.... Multo magis per eamdem potentiam intelligimus et ratiocinamur (*Summa Theol.* I p. qu. LXXIX, a. 8.)

[3] *Consol.*, V, pr. 4.

[4] *Ibid.*, pr. 5.

actio antecedit animi agentis vigorem et eum determinando provocat ; non enim mere passive se habet animus in sentiendo, sed post subjectam corpori passionem, exerit suas vires animus ac rerum notionem intellectu efformat.

Præcedit tamen excitans
Ac vires animi movens
Vivo in corpore passio ;
Quum vel lux oculos ferit
Vel vox auribus instrepit.
Tum mentis vigor excitus,
Quas intus species tenet,
Ad motus similes vocans,
Notio applicat exteris,
Introrsumque reconditis
Formis miscet imagines [1].

Fit enim notitia rei in mente ex cognito et cognoscente, quando scilicet species cogniti est in cognoscente. Errant ergo qui arbitrantur « quod omnia quæ quisque novit, ex ipsorum tantum vi atque natura cognosci quæ sciuntur. » « Omne enim quod cognoscitur, non secundum sui vim, sed secundum cognoscentium potius comprehenditur facultatem [2]. » « Aliter visus, aliter tactus eamdem corporis rotunditatem agnoscit. » Ita singulæ potentiæ proprias sibi rerum objectarum qualitates apprehendunt : « Sensus figuram in subjecta materia constitutam : imaginatio vero solam sine materia judicat figuram [3]. » Jam vero « neque

---

[1] *Consolat.*, lib. V, met. 4.
[2] *Ibid.*, pr. 4.
[3] *Ibid.*

sensus aliquid extra materiam valet, nec universales species imaginatio contuetur. »

Ratio est quæ qualitates sensibus objectas transcendit, « speciemque ipsam, quæ singularibus inest universali consideratione perpendit[1]. » « Quum quid universale respicit ratio, nec imaginatione, nec sensibus utens, imaginabilia, vel sensibilia comprehendit.... sed rationali conceptione considerat[2]. »

Ratio cæteris animæ potentiis præstat, quia non modo suapte natura proprium sed cæterarum quoque notitiarum subjecta cognoscit. « Quid igitur, si ratiocinationi sensus imaginatioque refragentur, nihil esse illud universale dicentes, quod sese intueri ratio putet?... Nonne rationis potius causam probaremus, quia de rerum cognitione, firmiori potius perfectiorique judicio credendum[3]; » et quia judicium eo firmius perfectiusque est quo magis potentia judicandi, cunctis corporum affectionibus absoluta, in discernendo non objecta extrinsecus sequitur, sed actum suæ mentis expedit[4].

Immensus est ergo humanæ rationis ambitus. Etenim « non ea tantum in cognitione sufficiunt quæ subjecta » sensibus comprehendit, verum etiam et insensibilibus » imaginatione concepta, et absentibus rebus nomina » indere potest, et quod intelligentiæ ratione comprehendit, » vocabulorum quoque positionibus aperit. Illud quoque » ei naturæ proprium est ut per ea quæ sibi nota sunt

---

1 *Consolat.*, lib. V, met. 4.
2 *Ibid.*
3 *Consol.*, lib. V, pr. 5.
4 *Ibid.*

» ignota vestiget, et non solum unumquodque *an sit,* sed
» *quid sit* etiam et *quale sit,* nec non *cur sit* optet
» agnoscere[1]. »

Hæc et permulta alia Boetii loca quæ in medium afferre liceret sufficienter firmare videntur hoc assertum : universam Boetii doctrinam circa sensitivas ac intellectivas animæ potentias, non solum ab omni errore immunem esse, verum etiam optimam ad humanæ animæ notitiam viam aperire. Etenim : 1° genera potentiarum animæ secundum objecta partitus est Boetius; 2° aliud vegetativum, aliud sensitivum, aliud intellectivum potentiarum genus posuit; 3° non animam solam, sed animal vivum, subjectum sentiens affirmavit; 4° non esse mere passivum in cognitione sensitiva acquirenda subjectum sentiens, sed ex vi et vigore animi sentientis rerum externarum cognitionem generari; 5° aliud esse sentire, aliud intelligere; sentire quidem competere brutis animalibus et homini, ut compositis ex anima et corpore; intelligere autem esse solius hominis, utpote ratione præditi, quæ ratio, a cunctis corporum affectionibus absoluta, rerum naturam investigat et actum suum expedit sine sensuum instrumentis.

Annon vere fuit ad christianæ fidei normam comparatus philosophus ille qui dixit : « Si igitur uti rationis participes
» sumus, sicut imaginationem sensumque rationi cedere
» oportere judicavimus, sic *divinæ sese menti humanam*
» *submittere rationem justissimum censeremus*[2] ? »

---

[1] *In Porphyr. a se translat.*, Migne, t. LXIV, col. 72.
[2] *Consol.*, lib. V, prosa 5.

CAPUT TERTIUM.

DE UNIVERSALIBUS.

Neminem eorum qui philosophiæ historiam norunt quæstionis de universalibus motæ gravitatem ignorare censemus. Agitur enim de scientiæ humano objecto ac fundamento, de cognitionum nostrarum certitudine; agitur de scepticismo aut etiam pantheismo vel vitando, vel in philosophiam inducendo. Si nuda inaniaque rerum signa finguntur universalia, si non sunt, ut aiebat juxta Anselmum Roscelinus, nisi « flatus vocis, » jam tota evertitur scientia nostra, jam nullum remanet vinculum inter res et verba, inter intellectum et res, sed solus dominatur scepticismus. Quod si e contra adstruitur realismus, sive ontologicus, ut est apud Platonem et recentiores ontologistas, sive empiricus, ut propugnarunt Gilbertus Porretanus, Guillelmus Campellensis, ac Scotus ipse, jam individuorum ac singularium existentia tollitur, sola remanent universalia, ac pantheismi infesta Charybdis fauces aperit. Mirum ergo videtur viros de cætero doctissimos ac bene moratos, ut auctores *Logicæ* sic dictæ *de Port-Royal*, scholasticos impugnare ac etiam contemnere quasi inutiliter et otiose de Universalibus disputassent [1]. Quæstionem de universalibus ad logicam per-

[1] « En voilà plus qu'il n'en faut, touchant les cinq universaux, qu'on traite dans l'école avec tant d'étendue. Car il sert très-peu de savoir qu'il y a des genres, des espèces, des différences, des propres et des accidents ; mais l'importance est de reconnaître les vrais genres des choses, les vraies espèces..., etc. (*Logique de P. R.*, 1re partie, ch. VII). His auctoribus una est tantum veniæ ratio, scilicet quod tunc temporis in libris ac scholis non tam impudenter ac hodiedum exultabant et tripudiabant materialismus et positivismus.

tinere censuit Boetius, non quidem ad illam meram *artem cogitandi,* ut definierunt recentiores, sed ad eam logicam quæ « partis philosophiæ vice simul instrumentique fungatur officio [1]. »

Hujus logicæ finis est inventio judiciumque rationum. Aristoteles autem rationum vim omnem in syllogismis apodicticis posuit ; cum autem syllogismus omnis ex propositionibus constet, propositionesque ex primis rerum nominibus, sequitur rectissimum discendi ordinem incipiendum esse ex Porphyrii libro velut prægustatore ac quodam modo initiatore. Itaque *de quinque vocibus* disserendum, scilicet de genere, de specie, de differentia, de proprio et accidente. Ita enim facilior aperietur via ad decem Aristotelis prædicamenta, quæ sub ultimo omnium genere *entis* continentur [2].

Quæstionem de universalibus his verbis movet Boetius :

« Utrumne ita intelligamus species et genera, ut ea quæ
» sunt et ex quibus verum capimus intellectum, an nosmet-
» ipsos eludimus cum ea quæ non sunt nobis cassa ima-
» ginatione formamus. Quod si esse quidem constiterit, et
» ab his quæ sunt intellectum concipi dixerimus, tunc alta
» major ac difficilior quæstio dubitationem parat, cum
» discernendi atque intelligendi generis ipsius naturam
» summa difficultas ostenditur. Nam quoniam omne quod
» est, aut corporeum, aut incorporeum esse necesse est,
» genus et species in aliquo horum esse oportebit.... sed
» neque cum hæc soluta fuerit quæstio, omne excluditur

---

[1] *In Porphyr. a se translat.*, Migne, t. LXIV, col. 74.
[2] *Ibid.*

» ambiguum : subest enim aliquid quod, si incorporalia » genus et species dicantur, obsideat intelligentiam atque » detineat, exsolvi postulans utrum circa corpora ipsa » subsistant, an etiam præter corpora subsistentia incor- » porales esse videantur [1]. »

Ad hanc solvendam quæstionem hac consideratione utitur Boetius : Videmus quidem singularia, intelligimus autem universalia, genera scilicet et species. « Si autem generis » et speciei cæterorumque intellectus ex re subjecta veniat, » ita ut sese res ipsa habet quæ intelligitur, *jam non » tantum intellectu posita sunt, sed in rerum etiam veritate » consistunt* [2]. » An dicemus « inanem conceptionem » esse illud universale quod sese intueri ratio putet ? An falsus est intellectus qui quod sit sensibile ac singulare quasi quiddam universale consideret [3] ? — Non est falsus intellectus qui concipit ac repræsentat rem secundum modum cognoscentis, id est immaterialiter, incorporaliter et secundum intentionem universalitatis [4]. Sed abstrahendo a conditionibus individuantibus ac concretis individuis naturam universalem intelligere potest, ac minime falsus est [5].

---

[1] *In Porphyr. a se translat.*, lib. I, Migne, t. LXIV, col. 82.

[2] *Ibid.*, col. 84.

[3] *Consol.,* lib. V., pr. 5.

[4] Non enim necesse esse dicimus omnem intellectum qui ex subjecto quidem sit non tamen ut sese ipsum subjectum habet, falsum et vacuum videri. In his solis falsa opinio est quæ per conjunctionem fiunt. Si enim quis componat atque conjungat intellectu id quod natura jungi non patiatur, illud falsum esse nullus ignorat... aut si separata fuerint quæ omnino separari non possunt (Migne, t. LXIV, col. 84).

[5] Sunt igitur hujusmodi res in corporalibus atque in sensibilibus rebus ; intelliguntur autem præter sensibilia ut eorum natura perspici, et proprietas valeat comprehendi. Quocirca cum et genera et species cogitantur, tunc ex singulis, in quibus sunt, eorum similitudo colligitur, ut ex singulis hominibus, inter se dissimilibus, humanitatis similitudo ; quæ similitudo cogitata animo veraciterque

« Ita quoque generibus et speciebus, id est singularitati et universalitati unum quidem subjectum est; sed alio modo universale est cum cogitatur, alio singulare cum sentitur in rebus his in quibus habet esse suum. His igitur terminatis, *omnis*, ut arbitror, *quæstio dissoluta est.* » Boetii responsio juxta Aristotelis sententiam tradita, erat *substantialiter* vera, nam universalia subsistere in potentia in singularibus affirmabat, eaque *præter corpora* [1], per mentis abstractionem a conditionibus individuantibus, intelligi. Ea est enim intellectus natura ut apprehendat universalia in singularibus.

Omnem autem quæstionis difficultatem sublatam esse non opinabatur ipse Boetius, dum his verbis sententiam

---

perspecta fit species; quarum specierum rursus diversarum considerata similitudo, quæ nisi in ipsis speciebus aut in earum individuis esse non potest, efficit genus; itaque hæc sunt quidem in singularibus (*Ibid.*, col. 85).

[1] Hæc Boetii verba : « Sunt igitur hujusmodi res (Universalia) in corporalibus atque in sensibilibus rebus; intelliguntur autem *præter sensibilia*..., etc. (Migne, t. LXIV, col. 85), ventilantur a Rosminio (*Aristotile esposto ed esaminato*, nos 10 et 11), qui hinc sciscitandi ansam sumit : si existunt in singularibus universalia, quomodo intelliguntur *præter*, id est, *extra sensibilia ubi non sunt?* — Cavillatur aperte Rosminius, nam ex toto contextu Boetii apparet illa verba *præter sensibilia* non sonare *extra sensibilia;* sensus est perlucidus : dum abstrahit intellectus a sensibilibus, *pervadit*, *prætervadit* sensibilia, seu intelligit præter sensibilia. Quæ certissime vera dicuntur.

Inculpat adhuc Boetium ex alio capite Rosminius quasi hanc naturam abstracte apprehensam quod vocat *universale* per mentis reflexionem concipi ex comparatione singularium, ad species et genera efformanda (*loc. citat.*). Si autem attentius perpendatur Boetius cuilibet consideranti apparet illud objectum mentale quod prius apprehenditur et abstrahitur a singularibus non esse universale logicum et reflexum sed universale metaphysicum et directe apprehensum, quod revera non conficitur ex comparatione singularium, sed per simplicem ac directam mentis abstractionem apprehenditur, sive ab uno tantum sive a pluribus successive individuis. Hac prima universali notitia acquisita, reflexe operatur intellectus, singularia inter se conferendo, ut ex similitudine, primum species, deinde genera efformentur. Hæc sunt verba Boetii : « *Cogitantur* vero universalia (non dicit : apprehenduntur), nihilque aliud species esse putanda est, nisi *cogitatio* collecta ex individuorum dissimilium numero substantiali similitudine, genus vero *cogitatio* collecta ex specierum similitudine (Migne, t. LXIV, col. 85). »

suam de hac solutione aperiebat : « His igitur terminatis,
» omnis, *ut arbitror*, quæstio dissoluta est.... Aristotelis
» sententiam exsecuti sumus, *non quod eam maxime pro-*
» *baremus*, sed quod hic liber ad prædicamenta conscriptus
» est.... »

Non defuerunt enim, et inter cæteros Roscelinus Compendiensis (circa a. 1080), qui « universalia » quæ a singularibus abstrahuntur nihil realitatis in se continere ac esse meras voces affirmarunt. Hunc nominalismum confutavit D. Anselmus, in libro *de Fide Trinitatis, contra blasphemias Roscelini*. Multa attulit argumenta contra istiusmodi sententiam. Etenim certum est nominalismum omnem cognitionem humanam scientiamque ac certitudinem evertere; dum asserit singularia tantum existere, omnia in fluxu perpetuo esse ac motu abduci. Exinde nullus jam ordo in rerum natura, nullæ leges, nulla ergo causarum inquisitio, nulla scientia. Dum vocabulorum universalitatem tantum concedunt nominalistæ, non rerum, sed signorum scientiam fingunt; philosophiam ut algebram quamdam somniant quæ signorum tantum numerorumque compositionem considerat. Talibus autem cujuscumque veritatis affirmationem tolli, ac stolidissimum scepticismum induci nemo non videt. Est alius etiam contra nominalistas locus : Si nulla datur in rebus universalitas, et e contra in vocibus tantum existit, quærere ab ipsis liceat, unde istæ voces universales fiunt? Unde intellectus istam efformat vocum universalitatem? Si reipsa voces dantur universales, ergo in rebus etiam datur universalitas, *fundamentalis* saltem, ut affirmant scholastici.

Hunc Roscelini nominalismum expolivit Abælardus, dum

universalia realiter quidem extra nos non existere, sed idealiter *concipi in mente* nostra docuit. Si Abælardum audieris est quidem universale forma quædam seu categoria mentis nostræ quam extra nos projicimus, rebus externis applicando, quas *in unum collectas* universales fingimus. Ast vero nobis explanet Abælardus unde proveniat istud universale *mere et exclusive in mente conceptum?* Si non inest realiter ac fundamentaliter in singularibus, jam nulla via est qua in mente concipi possit. De cætero scepticismum inducit, non secus ac nominalismus, istud Abælardi systema. Restat ergo ut ad Boetii sententiam accedamus, a D. Thoma ad majorem correctionem adductam ut ex dicendis patebit.

Ad hanc sententiam planius aperiendam, necesse est pauca quædam de realismo Platonis delibare, juxta D. Thomam.

« Ut posset Plato salvare certam cognitionem veritatis a
» nobis per intellectum haberi, posuit præter ista corpo-
» ralia aliud genus entium a materia et motu separatum,
» quod nominabat *species* sive *ideas*, per quarum partici-
» pationem unumquodque istorum singularium et sen-
» sibilium dicitur vel homo, vel equus, vel aliquid hujus-
» modi. Sic ergo dicebat *scientias* et *definitiones*, et quid-
» quid ad actum intellectus pertinet, non referri ad ista
» corporalia sensibilia, sed ad illa immaterialia et separata
» ut sic anima non intelligat ista corporalia, sed intelligat
» horum corporalium species separatas[1]. »

Hæc est illa Platonis de Universalibus seu de Ideis doc-

---

[1] I p, qu. LXXXIV, a. 1.

trina, sive quæstio sit de formis separatis, ut scholastici, juxta Aristotelem, Platonis mentem interpretantur, sive intelligendæ sint istæ ideæ in mente divina existentes, ut æterna rerum exemplaria. Nonnulli posterioris ac recentioris ætatis philosophi hæc Platonis placita ad systema sic dictum *ontologicum* deduxerunt, inter quos Malebranchius, Gerdilius, Vercellone, Fabre, etc., professi universalia realiter existere extra res creatas, et extra mentem, sed ab intellectu in essentia divina percipi. Quæ sententia, utpote ad pantheismum inclinans, sicut realismus platonicus de formis separatis, rejicienda videtur.

Præcipua contra istius modi realismum ratio est quod certa cognitionum nostrarum objecta destruit. Cognitionis enim nostræ objecta prima et propria res sunt sensibiles, e quibus abstractione intellectus rerum essentia percipitur, ac scientia nostra efformatur. Jam vero in systemate sive platonico, sive ontologico, non jam natura rerum sensibilium, sed substantiæ illæ ac formæ separatæ, seu ideæ ipsæ in mente divina existentes essent cogitationum nostrarum objectum. « Derisibile autem videtur, ait D. Thomas, » ut dum rerum quæ nobis manifestæ sunt, notitiam quærimus, alia entia in medium afferantur, quæ non possunt » esse eorum substantiæ, cum ab eis differant secundum » esse. Et sic, illis substantiis separatis cognitis, non propter hoc de istis sensibilibus judicare possemus [1]. » Ergo realismus sive platonicus sive ontologicus rejiciendus.

His præmissis dicimus Boetium et cum ipso D. Thomam ac Scholam prope totam, realismum quemdam *temperatum*

[1] I p., qu. LXXXIV, a. 1.

propugnare, medium inter nominalismum ac illum realismum, qui Platoni adscribi solet. Consonat enim iste realismus cum nominalismo ac conceptualismo in eo quod ponit universale non quidem extra mentem realiter existere.

Ex alia parte autem contra nominalismum, tuetur ac propugnat universale ab intellectu humano abstrahi ac rebus singularibus, quibus *fundamentaliter* inest, et quarum essentiam constituit, non quidem ut sit *æternum exemplar* ac *pars divinæ essentiæ*, sed ut *participata similitudo*, imago et vestigium divinæ essentiæ in rebus creatis. Et hæc est vera de universalibus doctrina.

Etenim illa est vera circa universalium existentiam doctrina quæ tradit universale inesse rebus singularibus ante omnem mentis operationem, et singularium essentiam realiter hoc universali constitui asserit.

Hæc autem duo firmissime tenet Boetius, dum adstruit « universale » seu « universitatem[1], » realiter existere in singularibus, non quidem ut universale ante mentis operationem, sed *fundamentaliter* tantum, id est cum fundamento in re, ut ait D. Thomas[2], et intelligi ut universale per mentis operationem. Alius est enim modus intelligendi quo intellectus intelligit, et alius est modus quo res existit[3].

---

[1] *Consol.*, V, pr. 5.

[2] « Humanitas est aliquid in re, non tamen habet ibi rationem universalitatis, cum non sit extra animam aliqua humanitas multis communis, sed secundum quod accipitur in intellectu adjungitur ei, per operationem intellectus, intentio secundum quam dicitur *species*. Similiter est de tempore... similiter dico de veritate, quod habet *fundamentum in re*, sed ratio ejus completur per actionem intellectus (*I Sent.* Dist. XIX, qu. V, a. 1).

[3] *D. Thom. Metaph.*, lib. I, lect. X ; *Summ. Th.* I p., qu. XV ; a. 1 ; *de Ent. et Essent.*, c. IV.

Hanc distinctionem quam *magistralem* dicimus, jam his Boetii verbis continetur : « singularitati et universalitati unum quidem subjectum est, sed alio modo universale est cum cogitatur, alio singulare cum sentitur in rebus his, in quibus habet esse suum[1]. »

Cuilibet ergo totam de universalibus doctrinam consideranti manifestum est Boetium hanc quæstionem maximi momenti tam diligenter quam subtiliter solvisse, discrimen scilicet agnoscendo inter illud universale quod directum seu metaphysicum dicimus et universale reflexum seu logicum. Cum ab uno ad alterum fit transitus, confunditur ordo metaphysicus et realis cum ordine logico seu mere ideali. Et inde pessimi errores dimanant.

Ponamus enim hunc syllogismum :

Idem est modus existendi rei intellectæ ac modus intelligendi rem ipsam.

Atqui existunt tantum singularia ;

Ergo intelliguntur tantum singularia, et universalia non sunt nisi meræ voces. En nominalismus præsto est.

Iterum, sed mutata tantum subsumptione :

Idem est modus existendi rei intellectæ ac modus intelligendi rem ipsam.

Atqui intelliguntur tantum universalia.

Ergo existunt tantum realiter universalia, et singularia non sunt nisi phantasmata ac vanæ rerum species. En realismus ac idealismus purus.

Contra utrosque autem dixerat Boetius : « Sentitur singulare, intelligitur universale. » Ac rursus ut probe discer-

---

[1] *In Porphyr. a se translat.*, lib. I.

natur ordo rerum et ordo cognitionum : « Cujus erroris causa est, quod omnia quæ quisque novit, ex ipsorum tantum vi atque natura cognosci æstimat quæ sciuntur. Quod totum contra est. Omne enim quod cognoscitur non secundum sui vim, sed secundum cognoscentium potius comprehenditur facultatem[1]. » Hanc auream sententiam luculentius adhuc expressit divus Thomas dum dixit : « Ex natura intellectus, quæ alia est a natura rei intellectæ, necessarium est quod alius sit modus intelligendi quo intellectus intelligit, et alius sit modus essendi, quo res existit[2]. » His soluta quæstio, his causa finita est[3].

CAPUT QUARTUM.

DE BOETII METAPHYSICA ET DE TRANSCENDENTIBUS.

Boetium Aristotelis metaphysicam in latinum transtulisse, si forte non totam saltem quasdam hujus operis

---

[1] *Consolat.*, lib. V, pr. 4.

[2] *Metaphysic.*, lib. I, lect. x.

[3] Nullo modo laudem Doctoris Angelici obscuratam esse censemus ex eo quod quidam ex opposita Scholæ philosophia imprimis Prantl et Haureau, contradictoria dogmata ab ipso tradita esse contendunt. An nominalista vocari potest ille qui talia scripsit : « Humanitas enim est *aliquid in re*, non tamen ibi habet *rationem universalitatis*, cum non sit extra animam aliqua humanitas multis communis ; sed secundum quod accipitur in intellectu, adjungitur ei per operationem intellectus *intentio* secundum quam dicitur *species* (I Dist. XIX, qu. V, a. 1). » An e contra inter realistas platonicos accenseri potest qui iterum scripsit : « Cum dicitur universale abstractum duo intelliguntur, scilicet ipsa natura rei, et abstractio, seu universalitas. Ipsa igitur natura, cui accidit intelligi vel abstrahi, vel intentio universalitatis est in intellectu. Et hoc possumus videre per simile in sensu (I p., qu LXXXV, a. 2, ad 2). » Adversarii sibi dicta sinant : Et nunc intelligite... erudimini qui judicatis...

partes, nemini dubium est, qui D. Thomæ commentariis fidem facit. Dum enim commentatur Librum primum Aristotelis, lectione quarta dicit D. Angelicus : Unde et *Littera* Boetii habet, « Accedentibus igitur ad opus scientiæ præ operæ viæ quæ nunc est aliquid erit. » Alia *Littera* habet[1]...., etc. Ex quibus patet Boetium auctorem fuisse latinæ cujusdam versionis Metaphysicorum Aristotelis, quæ adhuc in usu erat tempore Aquinatis, nunc autem non amplius invenitur.

Ex doctrina Aristotelis, et non ex Platonicorum et Alexandrinorum dogmatibus suam *Philosophiam primam* hausisse Boetius videtur. Et immerito inculpatur a Prantl, in sua *Logicæ Historia,* quasi « formali tantum et antiphilosophico fundamento steterit, ac nullum aliud sæculis sequentibus tradiderit[2]. » Etenim promptum est Boetium perspexisse logicam non esse tantum signorum artem ac vocabulorum sed etiam philosophiæ partem, atque universale sub duplici consideratione inquiri posse, nempe ut *unum aptum* INESSE *multis,* et ut *unum aptum* PRÆDICARI *de multis; prædicari* autem juxta totam Scholam, Boetio duce, *sequitur ad esse,* et est Logicæ objectum.

Ergo juxta Boetium, *Prædicamentorum* doctrina partim ad logicam, partim ad metaphysicam pertinet. Prout ad logicam pertinent prædicamenta, non sunt nisi « quædam genera *prædicabilium ;* » prout autem ad metaphysicam

---

[1] Thomæ Aquin., *Opera Omnia*, Vivès, Paris, 1875, t. XXIV, p. 352, cf. *La Métaphys. d'Aristote*, par Pierron et Zévort, Paris, 1840. *Introd.*, CXXX.

[2] Boethius doch nur auf dem unphilosophischen und formalen Schul-Standpuncte seiner Zeit steht, und daher auch keinen andern als diesen den folgenden Jahrhunderten ueberliefert... (*Geschichte der Logik im Abendlande*. Leipzig, 1855, t. I, p. 680).

spectant, sunt « suprema *rerum* genera, » seu « series *rerum* prædicabilium. » Hanc magistralem distinctionem disertis verbis ipse adstruit Boetius : « Dicendum est, ait, *quoniam* RERUM *prima decem genera sunt,* necesse fuit decem quoque esse simplices voces, quæ de subjectis rebus dicerentur[1]. » Quum autem quæstio agitur de affirmatione quæ in eo consistit, ut jungantur vel disjungantur voces rerum naturam vel proprietates significantes, tunc tota ad logicam transit. Ita enim docet Boetius : « Quocirca si prædicamenta juncta faciunt affirmationem (affirmatio vero nonnisi in oratione est, quæ autem junguntur ut affirmatio fiat, hæ sunt rerum significantes voces), prædicamentorum tractatus, non de rebus, sed de vocibus est[2]. »

Differunt autem isti duo tractatus ita : dum universale metaphysicum *circa* RES *quæ prædicantur* solum versatur, universale logicum spectat ad *modum quo* res *prædicantur*. Quæritur scilicet an generica, an specifica differentia res notari debent; ita ut omnia prædicamenta ad unum universale logicum, si attenditur ordo cogitationum, pertineant. Universale vero metaphysicum varios entitatis gradus considerat, incipiendo a *substantia prima*. Est terminus *a quo* proceditur ad inquirendum de universali logico.

Dantur autem universalia quædam ut *Ens, Unum, Verum* et *Bonum,* quæ extra omnem speciem, omneque genus ponuntur, et ideo *transcendentia* vocantur, ac velut prima totius metaphysicæ fundamenta præmittuntur. De his disseruit Boetius in brevissimo ex *Hebdomadibus* excerpto

---

[1] *In Categ. Aristot.*, lib. IV, Migne, t. LXIV, col. 162.
[2] *Ibid.*

capite, cui titulus : *Quomodo substantiæ in eo quod sunt bonæ sint, cum non sint substantialia bona.* Hoc acutissimum ac subtilissimum caput commentatus est D. Thomas[1], quem in sequentibus ut magistrum ac ducem auscultabimus. *Ens,* ait D. Thomas, *est id cujus actus est esse,* nempe existere; *essentia* autem est id quod res est, seu ejus quidditas. Differt itaque ens ab essentia; non omnes enim essentiæ possibiles ad actum existentiæ reducuntur. Hanc differentiam sequentibus regulis notat Boetius :

I. Diversum est esse et id quod est.

Aliud enim significatur per hoc quod dicimus *esse* et aliud per hoc quod dicimus *id quod est;* unum enim dicit ens in abstracto, sive secundum essentiam, aliud dicit ens in concreto sive in actu essendi.

II. Ipsum enim esse nondum est, at vero, quod est, accepta essendi forma est atque consistit.

Etenim ipsum esse, seu essentia non significat subjectum essendi seu subsistentiam. Ipsum esse nondum est, quia nondum attribuitur ei esse sicut subjecto essendi; est tantum in potentia essendi. Cum autem acceperit formam essendi est atque consistit in quadam linea ac specie entis.

Hoc autem totius metaphysicæ caput ac fundamentum centies ac millies affirmat D. Thomas dum ita docet : « Esse *essentiæ* et esse actualis *existentiæ* differunt realiter ut duæ diversæ res[2]. » Quod quidem adstruit absolutam naturæ divinæ simplicitatem, ac essentialem differentiam

---

[1] *In lib. Boet. de Hebdomadibus,* c. II.
[2] *Opuscul.* XLVIII, c. II.

Deum inter et res creatas. Testis audiatur Thomas : « Cum autem ita sit quod in qualibet re creata essentia sua differat a suo esse, res illa proprie denominatur a quidditate sua, et non ab actu essendi, sicut homo ab humanitate. In Deo autem IPSUM ESSE SUUM EST SUA QUIDDITAS, et ideo nomen quod sumitur ab esse proprie nominat ipsum, et est proprium nomen ejus, sicut proprium nomen hominis, quod sumitur a quidditate [1]. »

III. QUOD EST PARTICIPARE ALIQUO POTEST ; SED IPSUM ESSE NULLO MODO ALIQUO PARTICIPAT.

« Fit enim participatio cum aliquid jam est; est autem aliquid, cum esse susceperit. » Hæc Boetius.

Participare, ait D. Thomas, est quasi partem capere. Tres autem dantur modi participationis : 1° sicut particulare participat universale, ita Socrates participat hominem ; 2° sicut subjectum participat accidens et materia formam ; 3° sicut effectus participat suam causam ; puta, si dicamus quod aer participat lucem solis. Prætermisso autem hoc tertio modo participandi, impossibile est quod secundum duos primos modos *ipsum esse* participet aliquid. Non enim potest participare aliquid per modum quo materia vel subjectum participat formam vel accidens : quia, ut dictum est, *ipsum esse* significatur ut quid abstractum. Similiter autem nec potest aliquid participare per modum quo particulare participat universale.... nam *ipsum esse* est communissimum ; unde ipsum quidem participatur in aliis, non autem participat aliquid aliud. Unde relinquitur quod *id quod*

---

[1] *In Lib. I, Sent.*, Dist. VIII, qu. I, a. 1.

est, sive ens existens possit aliquid participare; ipsum autem esse sive essentia nullo modo participat aliquo, quia nondum est, et consequens est quod participatio conveniat alicui cum jam est.

IV. Id quod est habere aliquid præterquam quod ipsum est potest. Ipsum vero esse nihil aliud præter se habet admistum.

Etenim universale abstracte sumptum, puta humanitas, albedo, nihil præter se habere potest, nam essentiæ rerum sunt immutabiles. Aliter autem se habet *id quod est*, scilicet res quæ significatur in concreto. Ita homo qui ex hoc quod habeat humanitatem non prohibetur habere aliquid aliud, puta albedinem. Sed *ipsum esse,* sive essentia hominis nihil potest habere admistum præter essentiam hominis, animal scilicet rationale.

V. Diversum est tantum esse aliquid in eo quod est, et esse aliquid. Illic enim accidens, hic substantia significatur.

Ubi enim dicitur de re quod sit *aliquid in eo quod est,* et non sit simpliciter significatur *Accidens;* cum autem aliquid sit simpliciter, significatur *Substantia.*

VI. Omne quod est participat eo quod est esse, ut sit, alio vero participat ut aliquid sit : ac per hoc id quod est participat eo quod est esse, ut sit; est, vero ut participare alio quolibet possit.

Oportet ut intelligatur aliquid esse simpliciter, et postea quod sit aliquid. Nam aliquid est simpliciter per hoc quod participat ipsum esse; sed quando jam est, scilicet per par-

ticipationem ipsius esse, restat ut participet quocumque alio, ad hoc scilicet quod sit aliquid.

Sequuntur communes conceptiones de *uno*.

I. Omne simplex esse suum et id quod est unum habet.

In simplicibus necesse est quod *ipsum esse* et *id quod est*, sit unum et idem realiter. Si enim aliud esset realiter id quod est et ipsum esse ; jam non esset simplex, sed compositum... Hoc autem simplex unum et sublime est ipse Deus.

II. Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est.

Etenim in omni re quæ non est suum esse adest compositio, scilicet de ente et essentia, — de potentia et actu, — de ente substantiali et de ente accidentali...

De bono autem ita decernit Boetius :

I. Omnis diversitas discors ; similitudo vero appetenda est ; et quod appetit aliud ostenditur quale est illud hoc ipsum quod appetit.

Ratio est quia simile augetur et perficitur suo simili[1]. Unum quodque autem appetit suum augmentum et suam perfectionem. Jam vero Bonum est quod omnia appetunt. Omnia autem tendunt ad similia, ergo omnia bona sunt, quia tendunt ad similia. Est autem unum summum et substantialiter bonum, scilicet Deus ; cætera sunt secundaria, relativa ac per participationem bona ; nam si omnia essent ipsum primum bonum, sequeretur quod omnia entia essent Deus, quod dicere nefas est. Non igitur omnia

---

[1] Amica enim similitudo. Dissimilitudo vero odiosa atque contraria (*De Musica*, lib. I, c. I, Migne, t. LXIII, col. 1168.

entia sunt substantialia bona; sed sunt secundaria bona, in quantum derivata ab ipso primo et principali bono.

Hæc Boetius ac ejus interpres divus Thomas[1] de metaphysicæ fundamento. Quantum distent ista dogmata a neoplatonicorum placitis et imprimis a Plotini aut Procli doctrina nemo non videt. Apud Proclum enim τὸ ἕν, quod est etiam summum bonum et summa causa, est omnino *imparticipabile*[2]; apud Boetium autem, ex primo Ente, quod est ipsum suum esse, sunt cætera entia; ex Uno ac simplicissimo proveniunt entia composita; ex summo Bono, primo ac principali Bono cætera omnia derivantur bona.

CAPUT QUINTUM.

DE PRÆDICAMENTIS AC DE CAUSIS, JUXTA BOETIUM.

« Aristoteles, qui *de decem prædicamentis* inscribitur
» librum composuit, hac intentione, ut *infinitas rerum*
» *diversitates* quæ sub scientiam cadere non possent, pau-
» citate generum comprehenderet, atque ita id quod per

---

[1] *Opuscul.* LXII, édit. Vivès, t. XXVIII, Paris, 1875.

[2] Τὸ *μὲν δὴ πρώτιστον και ἀμέθεκτον ἕν*... (*Platonis, Theol. III*, 20). — *πᾶς θεὸς μεθεκτός ἐστι πλὴν τõυ ἕνος. Ὅτι μὲν γαρ ἐκεινὸ ἀμέθεκτον δῆλον*.... (*Instit.*, *Theol.*, 116). — « Ipsam boni formam, ait Boetius, Dei ac beatitudinis loquebaris esse substantiam; ipsumque Unum id ipsum esse bonum docebas quod ab omni rerum natura peteretur (*Consolat.*, lib. III, pr. 12). » Hæc quidem sunt opposita ut *sic et non;* at nihilominus ita fabulatur Judicis de Mirandol : « C'est cette doctrine chimérique de l'unité absolue, du τὸ ἕν ἁπλοῦν, comme l'appelle Plotin, que Boèce a répandue partout dans son livre, sans s'apercevoir qu'un Dieu simplifié, au point de ne plus être qu'une pure abstraction de l'esprit, n'a rien de commun avec l'Être actif, intelligent et libre qu'il nous avait montré d'abord comme le souverain organisateur du monde (*Introd.*, XLVIII). »

» incomprehensibilem multitudinem sub disciplinam venire » non poterat per generum (ut dictum est) paucitatem, » *animo fieret scientiæque* subjectum[1]. » His verbis luculenter distinguit Boetius prædicamenta sub ratione duplici substantiarum et accidentium. « Diversum est, ut vidimus, esse aliquid, et esse aliquid in eo quod est; » hic enim est accidens, illic substantia. Inter decem prædicamenta novem sunt de accidentis natura. « Sed prior illa natura est, sine qua alia esse non possunt[2]. » Aristoteles non definivit substantiam, sed descripsit dicendo : hoc est autem, *non esse in subjecto;* substantia enim in subjecto non est. « Facit autem quamdam substantiarum divisionem (Aristoteles) cum dicit, alias *primas* esse substantias, alias *secundas :* primas vocans individuas, secundas vero individuarum species et genera[3]. » « Sunt ergo primæ substantiæ quæ neque in subjecto sunt, neque de subjecto dicuntur, ut est Socrates vel Plato... Secundæ vero substantiæ sunt, quibus commune est cum primis substantiis, quod in subjecto non sunt, proprium vero quod de subjecto prædicantur, quæ secundæ substantiæ sunt universales, ut est homo atque animal... sunt igitur primæ substantiæ particulares, secundæ universales...[4] » Inde occasionem sumpsit Prantl iterum criminandi Boetium de Neoplatonismo ; ast quidem immerito.

Definitur enim substantia *prima :* quæ neque IN subjecto est, neque DE subjecto aliquo affirmatur. — Non *in* subjecto

---

[1] *In Porphyr. a se tr.*, Migne, t. LXIV, col. 75.
[2] *In categ. Arist. Ibid.*, col. 182.
[3] *Ibid.*
[4] *Ibid.*

est, quia jam non esset substantia; non *de* subjecto affirmatur, quia est individua, et revera dici nequit Petrum esse Paulum. Substantia *secunda* dicitur : quæ non est *in* subjecto, sed affirmatur *de* subjecto. Substantia prima est igitur quod significamus tanquam universale *physicum;* substantia secunda autem tanquam universale *metaphysicum.* Jam hoc universale metaphysicum prædicari potest de singularibus, ut *Petrus est homo, Paulus est homo.* Eamdem specie naturam participant Petrus et Paulus, *sed numero differentem.* Quum igitur asserit Prantl Boetium dixisse « duorum individuorum differentiam in solis accidentibus consistere, » et ipsum hanc communem (eamdem) duobus naturam traxisse « e neoplatonica schola [1] » meram calumniam profert, nam luculenter ac repetitis vicibus explicat Boetius naturam fieri individuam et singularem in individuis [2]; ac quando eadem specie non differunt, NUMERO tamen differre [3] certum est; ergo nulla inter ea *identitas* naturæ intercedit, quæ pantheismum jam a Boetio explosum [4] saperet.

---

[1] .... Die Annahme dass erstere (*substantia, prima*) dem sinnlichen Wahrnehmen, alles aber an ihr Vorkommende dem Intelligiblen Zufalle, erfahrt hier gleichfalls den neuplatonischen Ruckschag, dass der Unterschied Zwier Individuen in das bloss Accidentelle verlegt wird (*Geschichte de Logik,* t. I, p. 685). Ad suum assertum confirmandum hæc verba Boetii profert Prantl : « Quomodo cumque enim Socrates a Platone distiterit, nullo alio modo distare ab illo nisi accidentibus potest (*In Porphyr. a se tr.,* Migne, t. LXIV, col. 129).

[2] Socrates enim animal est, ipsum animal fit individuum, quoniam Socrates est individuus atque singularis.... *Illam humanitatem* quæ in Socrate individuo consideremus, fit *individua*, quoniam Socrates ipse individuus est atque singularis (*Ibid.*, col. 93).

[3] Cum enim dicimus hic Plato est, hic Socrates, duas fecimus unitates, ac si digito tangamus dicentes, hic unus est de Socrate, rursus de Platone hic unus est, *non eadem unitas in Socrate* NUMERATA EST *quæ in Platone*... (*Ibid.*, col. 96).

[4] ... « Ex quo fit ut omnia quæ sunt, deus sint : quod dictu nefas est (*de Hebdomadibus*, edit. Peiper, p. 171).

Quod substantiarum considerationem logicam a metaphysica plane discreverit Boetius nulli dubitare licet qui sequentia perlegerit. Dictante Logica : « Substantiarum aliæ sunt universales, aliæ particulares. Universales sunt quæ de singulis prædicantur, ut homo, animal, lapis, lignum, cæteraque hujusmodi quæ vel genera, vel species sunt.... Particularia vero sunt quæ de aliis minime prædicantur : ut Cicero, Plato, lapis hic, unde hæc Achillis statua facta est[1]... » In consideratione autem metaphysica, substantiæ « aliæ sunt corporeæ, aliæ incorporeæ. Corporearum vero aliæ sunt viventes, aliæ minime. Viventium aliæ sunt sensibiles, aliæ minime; sensibilium aliæ rationales, aliæ inrationales. Rationalium vero alia est immutabilis atque impassibilis per naturam ut Deus, alia per creationem mutabilis atque passibilis, nisi impassibilis gratia substantiæ ad impassibilitatis firmitudinem permutetur, ut angelorum atque animæ rationalis[2]. »

De cæteris prædicamentis abunde disserit Boetius, quin ipsi in suspicionem veniat se operam perdere, maximam e contra ex hac inquisitione utilitatem sperans, imprimis dum naturæ divinæ fit prædicamentorum applicatio[3].

---

[1] *Contra Eutychen et Nest.*, Migne, t. LXIV, col. 1343.

[2] *Ibid.*

[3] *Liber de Trinitate*, passim. Non hic prætermittendam esse censemus quorumdam Cartesianorum philosophorum affectatam contra Prædicamentorum doctrinam cautelam :

« Voilà les dix catégories d'Aristote, dont on fait tant de mystères, quoiqu'à dire le vrai, ce soit une chose de soi très-peu utile, qui non-seulement ne sert guère à former le jugement, ce qui est le but de la vraie logique, mais qui souvent y nuit beaucoup pour deux raisons qu'il est important de bien marquer. La première, c'est qu'on regarde ces catégories comme une chose établie sur la raison et sur la vérité, au lieu *que* c'est une chose tout arbitraire, et *qui* n'a de fondement *que* dans l'imagination d'un homme *qui* n'a eu aucune autorité de prescrire une loi aux autres, *qui* ont autant de droit *que* lui d'arranger d'une

Cum omnis natura sit et ordinetur ad propriam operationem, cum autem, ut operetur, necesse sit causam adesse suæ operationis, naturalis ordo postulat ut doctrinam de entium natura sequatur doctrina de causis.

Aristoteles, ait Boetius, quatuor posuit causas[1], quibus unumquodque conficitur : primam, quæ movendi principium est; secundam, ex qua fit aliquid, quam materiam vocat; tertiam, rationem et speciem, qua unumquodque formatur; quartam finem propter quem quodlibet efficitur. Causa est *id vi cujus aliquid producitur*. Succedit enim causæ effectus non vi *ordinis* solum, ut somniant quidam, sed vi *actionis*, quæ effectui esse confert. Causa efficiens, seu principium extrinsecum a quo primum procedit motus, dicitur *prima* et *secunda* : prima, quæ a nullo alio pendet ut agat; secunda, cujus aut virtus agendi aut exercitium hujus virtutis ab alio pendet. Causa *prima* est solus Deus; causæ *secundæ* sunt omnes creaturæ, ac causæ *instrumentales*, quæ motæ et applicatæ sunt a causa principali.

Nihil autem nisi ex causis oriri, nullumque esse casum[2],

---

autre sorte les objets de leurs pensées, chacun selon sa manière de philosopher.... La seconde raison qui rend l'étude des catégories dangereuse, est qu'elle accoutume les hommes à se payer de mots, à s'imaginer qu'ils savent toutes choses, lorsqu'ils n'en connaissent que des noms arbitraires... (*Logique de Port-Royal*, 1re partie, c. III). » Sit supradictis auctoribus terra levis! Non enim præsenserunt « novam » superventuram esse Metaphysicam, qualem tradunt hodie Auguste Comte (1798-1857), Taine, Littré, Léon Dumont, Darwin, Tyndall, St-Mill, G. Lewes, Franchi, Ferrari, Edw. von Hartmann, Hæckel, e *tutti quanti*.

[1] *In Top. Ciceron.*, Migne, t. LXIV, col. 1145.

[2] Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod assignata ordinis ratione decesserit, hoc licet in alium tamen ordinem relabatur, *ne quid in regno Providentiæ liceat temeritati* (*Consol.*, IV, pr. 6).

seu eventum temerario motu ac nulla causarum connexione productum, diserte asserit Boetius[1].

Quis credat Nitzschium hanc Boetii sententiam : ex nihilo nihil fieri, impugnavisse, quasi veteres suis coætaneis opposuerit Boetius ut contraria sentientes? Duplicem autem hujus adagii sensum vel rudiores advertere possunt. Vera enim sententia est *nihil fieri ex nihilo,* id est, *nihil fieri nulla præxistente causa,* et iterum vera est sententia *nihil fieri ex nihilo, quando causæ secundæ operantur,* nam indigent absolute materia quam transmutent aut efforment. Quando autem quæstio est, ut innuit Boetius, de primo operante principio, certum est ipsum nulla materia in operando indigere; quod autem per sapientiam ac voluntatem infinitam rebus creatis existentiam dederit, quodque stultum sit hæc Dei attributa pro nihilo habere, certum pariter et inconcussum manet. Hæc magnificis, ut solet, verbis explicat Augustinus[2] : « Ante primordia sæculorum, et ante omne quod vel *ante* dici potest, Tu es et Deus es, Dominusque omnium quæ creasti, et apud Te rerum omnium instabilium stant causæ, et rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, et omnium irrationabilium et temporalium sempiternæ vivunt rationes. »

Universam autem de Causis doctrinam tradidit Boetius in hoc sublimi carmine quod legitur, *Consol.,* lib. III, pr. 12, et dirigitur ad Deum omnipotentem, tanquam ad supremam omnium rerum causam.

---

[1] *Consol.*, lib. V, pr. 1. Nam nihil ex nihilo existere vera sestentia est, cui nemo unquam veterum refragatus est ; quamquam illi veteres, id non de operante principio, sed de materiali subjecto, hoc est omnium de natura rationum, quasi quoddam jecerint fondamentum.

[2] *Confess.*, lib. I, c. VI.

Primæ causæ omnia efficientis ac moventis præsidium, Platonis instar, ita implorat Boetius :

O qui perpetua mundum ratione gubernas[1],
Terrarum cœlique sator[2], qui tempus ab ævo
Ire jubes[3], stabilisque manens, das cuncta moveri[4] ;

---

[1] *Consol.* V, pr. 3. « Ex Providentia rerum omnis ordo ducitur. » — *Cons.* III, pr. 12. « Non tam vero certus ordo naturæ procederet, nec tam dispositos motus locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicarent, nisi unus esset qui has mutationum varietates manens ipse disponeret. » — Cf. *Cons.* I, met. 5.

O stelliferi conditor orbis
Qui perpetuo nixus solio
Rapido cœlum turbine versas
Legemque pati sidera cogis,
Ut nunc pleno lucida cornu
Fratris totis obvia flammis
Condat stellas luna minores,
Nunc obscuro pallida cornu
Phæbo propior lumina perdat.
Et qui primæ tempore noctis
Agit algentes hesperos ortus
Solitas iterum mutet habenas
Phœbi pallens lucifer ortu.
Tu, frondifluæ frigore brumæ
Stringis lucem breviore mora :
Tu, cum fervida venerit æstas,
Agiles nocti dividis horas.
Tua vis varium temperat annum,
Ut quos Boreæ spiritus aufert,
Revehat mites Zephyrus frondes :
Quæque arcturus semina vidit,
Sirius altas urat segetes.
Nihil antiqua lege solutum
Linquit propriæ stationis opus.
Omnia certo fine gubernans,
Hominum solos respuis actus
Merito rector cohibere modo.

[2] Deum ita definit Boetius, *Cons.* III, pr. 12 : « Hoc quidquid est quo condita manent atque agitantur, usitato cunctis vocabulo Deum nomino. » Et paulo inferius : « Est igitur summum bonum, quod regit cuncta fortiter suaviterque disponit. »

[3] Deus est æternus ; *Cons.* V, pr. 6. « Neque Deus conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturæ. » Audiatur Boetius in libro *de Fide catholica :* « Ergo divina ex æterno natura et in æternum sine aliqua mutabilitate perdurans, sibi tantum conscia voluntate, sponte mundum voluit fabricare, eumque cum omnino non esset, fecit ut esset ; nec ex

Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus [1], verum insita summi
Forma boni, livore carens [2].

---

sua substantia protulit, ne divinus natura crederetur, neque aliunde molitus est, ne jam extitisse aliquid quod ejus voluntatem existentia propriæ naturæ juvaret, atque esset etiam quod neque ab ipso factum esset et tamen esset. » His verbis quasi gladio percelluntur varii errores pantheismi, dualismi, emanatismi, fatalismi, etc., qui in ethnicis philosophorum scholis tunc temporis adhuc vigebant. — De temporalium rerum motu ita disserit Boetius, *Consol.* V, pr. 6. « Infinitus ille temporalium rerum motus imitatur hunc vitæ immobilis præsentarium statum, cumque eum effingere atque æquare non possit, ex immobilitate deficit in motum, ex simplicitate præsentiæ decrescit in infinitam futuri ac præteriti quantitatem. » — Cf. D. Thomas (Opusc. XXXVI, c. III).

[4] Deus est primum movens. D. Augustinus, *de nat. bon. et mat. cont. Manich.*, lib. I, c. 1, hæc habet : « Solus ipse incommutabilis, omnia quæ fecit, quia ex nihilo fecit, mutabilia sunt. » D. Thomas, fere eadem, p. I, qu. II, a. 3. « Omnis motus tam voluntatis quam naturæ procedit a Deo tanquam a primo movente. »

[1] Ex his verbis : « Fingere materiæ fluitantis opus, » suspicatur Judicis de Mirandol (*Introd.*, p. XLVI). Boetium materiam Deo coæternam admisisse : « Selon Boèce, il existe un être tout-puissant et éternel, antérieur, *sinon à la matière*, du moins à l'organisation de la matière. C'est cet être qui a donné au monde sa forme visible, et qui gouverne l'ensemble des choses par des lois fixes et immuables. » Contrariam autem sententiam expresse tenet Boetius, ut vidimus ad notam 2m ; neque docuit creationem fuisse « ab æterno » uti calumniose fabulantur quidam. Hæc sunt Boetii verba, *Consol.* V, pr. 6 : « Censuit Aristoteles de mundo quod nec cœperit unquam esse, nec desinat, vitaque ejus cum temporis infinitate tendatur, nondum tamen tale est ut æternum esse credatur. » « Non recte quidam qui, cum audiunt visum Platoni mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coæternum putant. » Quid autem censeat Boetius ex sequentibus elucet : « Itaque si digna rebus nomina velimus imponere, Platonem sequentes Deum quidem æternum, mundum vero dicamus esse perpetuum. » « Neque enim Deus conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturæ. » Et hæc verissima sunt. De cætero possibilitatem intrinsecam, seu non-repugnantiam creationis *ab æterno* docent christianæ theologiæ principes, D. Augustinus, D. Thomas, Cajetanus, Suarez, et inter hodiernos philosophos P. Liberatore et P. Zigliara.

[2] Creationis motivum in bonitate Dei reponit Boetius, Platonis memor et D. Augustini *de Civit. Dei*, lib. XI, c. 21 : « Hanc etiam Plato causam condendi mundi justissimam dicit, ut a bono Deo, bona opera fierent. » Et c. 24 : In eo vero quod dicitur : *Vidit Deus quia bonum est*, satis significatur Deum nulla necessitate, nulla suæ cujusquam utilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse quod factum est, id est, quia bonum est : quod ideo postea quam factum est dicitur, ut res quæ facta est congruere bonitati propter quam facta est, indicetur. » Adhuc in libro *de Genesi ad litteram*, cap. IV, nº 16, dicit Augustinus : « Bona facere si non posset, nulla esset potentia ; si autem posset nec faceret, magna esset invidentia. Quia ergo est omnipotens et bonus, omnia valde bona fecit. »

Deum esse, omnium rerum conditorem, æternum, immotum et cuncta moventem, sponte et conscia voluntate e nihilo omnia condientem et ad certum finem omnia sua gubernatione dirigentem his versibus magnifice proclamat Boetius :

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo[1] : pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine formans
Perfectasque jubens perfectum absolvere partes[2].

His versibus continetur doctrina Boetii de causa exemplari et de *mundo intelligibili,* juxta platonicos. Essentia

---

[1] Hanc de exemplaribus divinis doctrinam, quæ vulgo *platonica* dicitur, nos cum docto Staudenmayer, in suo libro *die Lehre der Idee*, contendimus esse vere et proprie judaicam. Fluit enim e doctrina mosaica creationis rerum a Deo summo, intelligenti et sapienti. Si mundus a casu non factus est, Deo fere intellectum agente, ut ait D. Thomas, necesse est quod in mente divina sit forma ad similitudinem cujus mundus est factus. Inde sequitur Deum esse primam causam exemplarem rerum omnium. Eadem fere habuit D. Augustinus in *lib. LXXXIII quest.* qu. XLVI, n° 2. « Sunt namque ideæ principales formæ quædam vel rationes rerum, stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ ac semper eodem modo sese habentes, quæ in divina intelligentia continentur; et cum ipsæ neque oriantur neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest. » Doctrinam de exemplaribus divinis in sacris litteris contentam esse nullus inficias ibit qui varia sacræ scripturæ loca perlegerit, imprimis *Gen.*, II, 7 ; *Job*, XXVIII et XXXVIII; *Prov.*, VIII, 22 ; *Sap.*, VII, 25 ; IX, 9 ; *Joan.*, I, 4. Diligenter exponitur hæc doctrina a theologo Lessio sequentibus verbis : « Omnia possibilia continentur in *essentia* divina, tanquam in originali radice, et quasi in exemplari virtuali et radicali ; in *sapientia* tanquam in exemplari formali, in quo etiam existunt objective modo perfectissimo et illustrissimo ; in *potentia* tanquam in causa effectrice (*De Perf. Moribusque divinis*, lib. V, c. II).

[2] Jubent namque sapientia ac voluntas divina rerum exemplar perfectum absolvere perfectas partes mundi ; non ita tamen ut perfectionem exemplaris divini adæquet mundus et *infinite* participet infinitam Dei perfectionem, quod esset absurdum. In hoc erraverunt Plato et ejus sequaces, asserentes bonitati Dei debitum esse tale universum producere, ut sic optimus optimum produceret. « Quod quidem potest esse verum, si solum quantum ad ea quæ sunt respiciamus ; non autem si respiciamus ad ea quæ esse possunt. Hoc enim universum est optimum eorum quæ sunt ; et quod sit sic optimum ex summa Dei bonitate habet. Non tamen bonitas Dei est ita obligata huic universo, quin melius vel minus bonum aliud universum facere potuisset (*De Pot.* qu. III, a. 16).

Dei, ut est intellecta, est idea rerum, et omnium exemplar. « Licet enim omnes res imitentur essentiam divinam, in quantum sunt, non tamen uno et eodem modo omnia imitantur ipsam ; sed diversimode, et secundum diversos gradus, » ait D. Thomas[1].

De causis secundis, scilicet de causa formali et materiali, ita decantat Boetius :

Tu numeris elementa ligas[2], ut frigora flammis
Arida conveniant liquidis ; ne purior ignis
Evolet aut mersas deducant pondera terras.
Tu triplicis mediam naturæ cuncta moventem
Connectens animam[3] per consona membra resolvis.
Quæ cum secta duos motum glomeravit in orbes,
In semet reditura meat[4], mentemque profundam

---

[1] *Quæst. quodl.*, lib. IV, qu. I.

[2] Hæc docet Boetius, *de Musica*, lib. I, c. II. « Jam vero quatuor elementorum diversitatem, contrariasque potentias, nisi quædam harmonia conjungeret, qui fieri posset, ut in unum corpus ac machinam convenirent?... Nam quod constringit hiems ver laxat, torret æstas, maturat autumnus. » Vincula autem qua « conjunguntur » elementa, vel « constringuntur » sunt numeri, vel *formæ substantiales*, ut sexcenties asserit D. Thomas. Omnia enim in mensura, numero et pondere disposuit Deus (*Sap.*, XI, 21). Inter elementorum qualitates aliæ sunt alterativæ, aliæ motrices. Istæ qualitates ligantur in variis naturæ corporibus : ita hydrogenum in aqua, oxygenum in saxis, carbogenum in plantis, etc. Resque ita fiunt ne redeat chaos, « ne purior ignis evolet, aut mersas deducant pondera terras. »

[3] Qualitates materiæ motrices ad animam quamdam *medium*, *triplicis naturæ*, cuncta *moventem* pertinent. Has omnium motuum causas variis nominibus adpellant hodierni philosophi nempe : *lumière*, *chaleur*, *électricité*, *magnétisme*. Hæc prima agentia naturalia vocantur a Boetio *anima mundi*, quæ cuncta movet, et est subtilissima et resolvitur per varia naturæ regna, mutationum omnium, sive substantialium, sive accidentalium effectrix. Hujus animæ natura nostros quidem fugit sensus, quin tamen sit spiritualis, hanc *mediam*, corpus inter et mentem vocat Boetius. Huic alludit Scriptura sacra his verbis : « Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur (*Eccl.*, c. I, v. 6) ;» forsan etiam Virgilus : « *Mens agitat molem....* (*Æneid.*, lib. VI).

[4] Hæc anima mundi quasi in duas secatur partes, dum motus *cosmicos*, cœlorum scilicet, et vitam ac motum telluris ac planetarum efficit. « Mundus ipse, ait Boetius (*Geomet.*, lib. II, Migne, LXIII, col. 1353), sphærica fertur rotunditate

Circuit, et simili convertit imagine cœlum.
Tu causis animas paribus, vitasque minores
Provehis, et levibus sublimes curribus aptans[1],
In cœlum terramque seris, quas lege benigna
Ad te conversas reduci facis igne reverti.

Demum hos elegantes ac vere sublimes versus ad causam finalem dirigit Boetius :

Da, Pater, augustam[2] menti conscendere sedem,
Da fontem lustrare boni, da luce reperta[3],

---

collectus, ut diversas rerum formas ambitus sui circuitione concluderet. » Totum spatium, velut « mentem profundam » pervadit ista anima mundi, ac *convertit cœlum simili* mentis *imagine*, quæ præfigurat virtutes cognoscitivas animæ rationalis. « Non enim in intelligendo est motus, unde nec proprie loquendo est » ibi recessus aut reditus; sed pro tanto dicitur esse processus et motus, in » quantum ex uno cognoscibili pervenitur ad aliud, et in nobis fit per quemdam » discursum, secundum quem est exitus et reditus in animam nostram, dum » cognoscit seipsam (*De Veritat.* qu. II, a. 2, ad 2). » Corpora cœlestia animata esse docuit Augustinus in *Enchiridio;* D. Thomas censet hanc opinionem parvi referre ad fidem christianam, doctores Ecclesiæ varie de ea re censisse, Hieronymum affirmasse, Damascenum negasse, eamdemque varietatem inter philosophos reperiri (*Quodlib.*, qu. XII, a. 9).

[1] Hic, ut admonet Murmellius (Migne, t. LXIII, col. 1029), Boetius non solum diligenter, *verum et caute* Platonem imitatur. Dicit Boetius animas vitasque minores, plantarum scilicet et animalium, causis paribus a Deo provectas, levibus curribus, hoc est corporibus, aptatas, ad cœlum conversas, igne reduci, lege benigna reverti. Sui temporis biologicæ scientiæ placita ita tradit D. Thomas : « In universo est duplicem naturam considerare, scilicet naturam sempiternæ permanentiæ, quæ est maxime in substantiis separatis, et naturam generabilem et corruptibilem, quæ est in inferioribus corporibus. Corpora autem cœlestia, cum sint media, utroque aliqualiter participant secundum duos motus. Nam primus motus, qui est diurnus, est causa sempiternæ durationis in rebus; *secundus autem motus*, qui est in circulo obliquo, ab Occidente in Orientem, *est causa generationis et corruptionis et aliarum transmutationum*, ut patet per Philosophum in II *de Gen. et corrupt.* (*De Cœlo*, lib. II, lect. 15).

[2] « Quare, ait Boetius (*Consol.* V, 5), in illius summæ intelligentiæ cacumen, *si possumus*, erigamur; illic enim ratio videbit quod in se non potest intueri. » Deus est enim fons omnis boni, quippe est « summum omnium bonorum, cunctaque intra se bona continens (*Consol.* II, 2). »

[3] Ipse Deus lux est et illuminat mentes hominum (*Joan.*, I, 9); « ipsius contemplatio tanta, qua creaturæ ad creatorem fieri potest, est summa beatitudo (*De Fide cathol.*). » Hunc solum « verum possis dicere solem (*Cons.*, V, met. 2).

In te conspicuos animi defigere visus.
Disjice terrenæ nebulas et pondera molis[1],
Atque tuo splendore mica : tu namque serenum,
Tu requies tranquilla piis[2] ; te cernere finis[3],
Principium, Vector, Dux, semita, Terminus idem.

CAPUT SEXTUM.

DE DEO. — DE FATO ET DIVINA PROVIDENTIA. — DE PRÆSCIENTIA DEI AC LIBERO HOMINIS ARBITRIO. — DE ULTIMO HOMINIS FINE.

Ad ultimas in libro *Consolationis philosophiæ* a Boetio pertractatas quæstiones progrediamur scilicet de Deo, de Fato, de Providentia divina, de futurarum rerum divina præscientia ac de humana libertate, tandem, de summo beatitudinis humanæ termino, seu de visione essentiæ divinæ.

---

[1] « Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem (*Sapient.*, c. IX). » Cf. *Cons.* V. pr. 2. « Humanorum motus animorum fatalis catena constringit. »

[2] Tu serenas mentes ac tranquillas cogitationes piorum animis conservas ac infundis.

[3] Hæc desumpta videntur ex sacris litteris et hymnologia sacra. « Hæc est enim vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum (*Joan.*, XVII). » « Ego sum α et ω, principium et finis (*Apoc.*, c. I). » — Vector noster est Deus, nam « portat omnia verbo virtutis suæ (*Ad Hæb.*, I). » Demum, hæc hodiedum usque in sacro Dominicæ Ascensionis die, post D. Ambrosium decantat Ecclesia catholica :

Tu Dux ad astra et Semita
Sis Meta nostris cordibus ;
Sis lacrymarum gaudium,
Sis dulce vitæ præmium.

Existentiam Dei ac notitiam attributorum divinorum sola humanæ rationis ope, certo cognosci et ac demonstrari posse censuit Boetius. Non tamen eamdem, ac postea Anselmus, ingreditur viam, demonstrationem scilicet dictam *a priori*, sed multiplici utitur argumento quod adhuc in scholis viget et ab ultimo catholicæ Ecclesiæ concilio solemnissimam sanctionem accepit [1]. Argumentum *morale* non quidem evolvit, sed delineat tantum Boetius dum dicit : « Deum, rerum omnium principem bonum esse, communis humanorum conceptio probat animorum [2]. » Hæc animorum consensio vocatur a Tertulliano : « Testimonium animæ naturaliter christianæ, doctrina naturæ... » « hæc testimonia... quanto communia, tanto naturalia, quanto naturalia, tanto divina [3]. »

Argumentum *physicum*, seu ex causis finalibus deductum a contemplatione hujus mundi visibilis, nec non ab ordine pulcherrimo totius naturæ ac rerum naturalium stabili perpetuoque cursu præcipue desumit : « Mundus hic ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam minime convenisset nisi unus esset qui tam diversa conjungeret ; conjuncta vero naturarum ipsa diversitas, invicem discors, dissociaret atque divelleret, nisi unus esset, qui quod nexuit contineret. Non tam vero certus naturæ ordo procederet, nec tam dispositos motus locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret, nisi unus esset,

---

[1] « Eadem sancta mater ecclesia tenet et docet : Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse ; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (*Concil. vatic.* sess. 3ª, *constit. de fide cath.*). »

[2] *Consol.*, lib. III, pros. 10.

[3] *De Testimonio animæ*, passim.

qui has mutationum varietates manens ipse disponeret. « Hoc quidquid est quo condita manent atque agitantur, usitato cunctis vocabulo Deum nomino [1]. » Ergo qui varias mundi partes in unum conjunxit, qui tam certum naturæ ordinem continet, qui primus movet et agitat omnia condita unus est, et hunc Deum nominat

Argumentum sic dictum *cosmologicum* duobus præcipue locis eleganter explicat Boetius, dum in herbis, arboribus, animantibusque « subsistendi appetentiam, » qua unumquodque subsistit ac in *unitate* permanet, contemplatur [2]. Tunc ordinem rerum cœlestium, conversiones solis et lunæ, siderumque omnium, varias anni temporum vicissitudines, etiam hominum actus ad summum gubernatorem ac rectorem Deum tanquam ad supernam causam reducit [3].

---

[1] *Consol.*, III, pr. 12.

[2] « Quum herbas atque arbores intuearis, primum sibi convenientibus innasci locis, ubi, quantum earum natura queat, cito exarescere atque interire non possint. Nam aliæ quidem campis, aliæ montibus oriuntur, alias ferunt paludes, aliæ saxis hærent, aliarum fecundæ sunt steriles arenæ, quas si in alia quispiam loca transferre conetur, arescant. Sed dat cuique natura quod convenit, et ne, dum manere possunt, intereant, elaborat. Quid, quod omnes, velut in terras ore demerso, trahunt alimenta radicibus, ac per medullas, robur corticemque diffundunt? Quid, quod mollissimum quodque, sicuti medulla est, interiore semper sede reconditur, extra vero quadam ligni firmitate tegitur; ultimus autem cortex adversum cœli intemperiem quasi mali patiens defensor opponitur? Jam vero quanta est naturæ diligentia, ut cuncta semine multiplicato propagentur : quæ omnia non modo ad tempus manendi, verum generatim quoque, quasi in perpetuum permanendi, veluti quasdam machinas esse quis nesciat? Ea etiam quæ inanimata esse creduntur, nonne quod suum est quæque simili ratione desiderant (*Consol.* III, pr. 11).

[3] *Consol.*, lib. I, met. 5.

O stelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nixus solio,
Rapido cœlum turbine versas,
Legemque pati sidera cogis,
Ut nunc pleno lucida cornu
Fratris totis obvia flammis
Condat stellas luna minores.

Huic argumento adjungendum est illud quod *Consol.* Lib. III, p. 10 his verbis continetur : « Omne enim quod imperfectum esse dicitur, id imminutione perfecti imperfectum esse perhibetur. Quo fit, ut si in quolibet genere imperfectum quid esse videatur, in eo perfectum quoque aliquid esse necesse sit. Etenim perfectione sublata, unde illud quod imperfectum perhibetur extiterit ne fingi quidem potest. Neque enim ab deminutis inconsummatisque natura rerum cœpit exordium, sed ab integris absolutisque procedens, in hæc extrema atque effeta dilabitur... quin existat sitque hoc (primum) veluti quidam omnium fons bonorum negari nequit[1]. » Existit ergo aliquid perfectum ; illud autem perfectum idem est ac ipse Deus. Merito sciteque negat Nitzschius[2] argumentum illud Boetii *ontologicum* seu *a priori* esse ; nam ex *idea perfecti* nullo modo principium concludendi desumit Boetius, sed e rebus imperfectis rea-

---

Nunc obscuro pallida cornu
Phœbo propior lumina perdat.

Item, *Consol.*, III, met. 2.

Quantas rerum flectat habenas
Natura potens, quibus immensum
Legibus orbem provida servet,
Stringatque ligans inresoluto
Singula nexu, placet arguto
Fidibus lentis promere cantu.

. . . .

Cadit Hesperias Phœbus in undas,
Sed secreto tramite rursus
Currum solitos vertit ad ortus.
Repetunt proprios quæque recursus
Redituque suo singula gaudent :
Nec manet ulli traditus ordo,
Nisi quod fini junxerit ortum
Stabilemque suî fecerit orbem.

[1] *Consol.* III, pr. 10.
[2] *Das System des Boethius*, p. 56.

liter existentibus ad ens perfectum assurgit. Idem dicendum de argumento quod per integrum librum de *Consolatione* persequitur Anicius noster quodque ex Aristotele mutuatur. Bonum est quod omnia appetunt. Bona autem quæ appetunt homines, scilicet divitiæ, gemmarum fulgor, agrorum pulchritudo, fructus animantum, vestes preciosæ, longus ordo famulorum, dignitates, potentia, fama, prospera fortuna..., possunt auferri et amitti, ergo non sunt summum bonum, nec possunt præstare hominem beatum. Quia autem existunt bona imperfecta existit summum bonum, « omnium bonorum congregatione perfectum, » « quod est aliquid simplex et natura indivisum, » « in quo sita est vera beatitudo, » « quodque est ipsa substantia Dei [1]. »

Quænam autem sit natura istius summi rerum omnium principis, ac supremi finis, seu quænam sint attributa Dei ex innumeris locis Libri *Consolationis* eruere licet. Deus est enim natura simplex [2], est unus [3], est bonus [4], est summe potens [5], est pulcherrimus [6], est omniscius [7] summe li-

---

[1] *Consol.* III, pr. 10.

[2] Neque Deus conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate sed simplicis potius proprietate naturæ (*Cons.* V, pr. 6.).

[3] Unus enim rerum Pater est, unus cuncta ministrat (*C.* III, met. 6.). — Oportet igitur idem esse unum atque bonum simili ratione concedas (*C.* III, pr. 11).

[4] Ita vero bonum esse Deum ratio demonstrat, ut perfectum quoque in eo bonum esse convincat (*C.* III, pr. 10). — Ne hunc rerum omnium Patrem, illud summum bonum quo plenus esse prohibetur, vel extrinsecus accepisse, vel ita naturaliter habere præsumas, quasi habentis Dei habitæque beatitudinis cogites diversam esse substantiam... Quare quod omnium principium sit, id etiam sui substantia summum esse bonum verissima ratione concluserim (*C.* III, p. 10).

[5] Deum esse omnium potentem nemo dubitaverit (*C.* III, pr. 12).

[6] *Cons.* III, met. 9.

... Pulchrum pulcherrimus Ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine formans.

[7] Scientia quoque ejus omnem temporis supergressa motionem in suæ manet

ber [1], justus [2], misericors [3], æternus [4], sua Providentia [5] cuncta prospicit et administrat.

Deum esse omnium rerum « Patrem, » « Conditorem, » « Principium, » « naturarum omnium Proditorem » « omnium rerum Principem, » « omnium potentem, » innumeris locis asserit Boetius. Ipse Deus dat « creatis a se rebus » ut maneant; ipse « conditis rebus antiquior videri debet *potius* proprietate simplicis naturæ quam temporis quantitate; » ipse « stabilis manens dat cuncta moveri, » ac dum « tempus ab ævo ire jubet, solus est « æternus, » ut qui « interminabilem vitam totam simul et perfectam

---

simplicitate præsentiæ, infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia quasi jam gerantur in sua simplici cognitione considerat (*C.* V, pr. 6).
C. V, met. 2.

> Haud sic magni conditor orbis ;
> Huic ex alto cuncta tuenti
> Nulla terræ mole resistunt ;
> Non nox atris nubibus obstat,
> Quæ sint, quæ fuerint, veniantque
> Uno mentis cernit in ictu.

[1] *Cons.* III, met. 9.

> Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
> Materiæ fluitantis opus.

[2] Manet etiam spectator desuper, cunctorum præscius Deus, visionisque ejus præsens semper æternitas, cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis præmia, malis supplicia dispensans (*C.* V, pr. 6).

[3] Nec frustra sunt in Deo positæ spes precesque, quæ cum rectæ sunt, inefficaces esse non possunt (*C.* V, pr. 6).

[4] Deum igitur æternum esse cunctorum ratione degentium commune judicium est (*C.* V, pr. 6).

[5] Providentia est ipsa illa divina ratio, in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit (*C.* IV, pr. 6). — Non prævidentia sed providentia potius dicitur, quod porro a rebus infirmis constituta quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat (*C.* V, pr. 6). — Hunccine, inquit, mundum temerariis agi fortuitisque casibus putas, an ullum credis ei regimen inesse rationis? Atqui, inquam, nullo existimaverim modo, ut fortuita temeritate tam certa moveantur, verum operi suo conditorem præsidere Deum scio, nec unquam fuerit dies qui me ab hac sententiæ veritate depellat (*C.* I, pr. 6). — O, qui perpetua mundum ratione gubernas... etc. (*C.* III, met. 9).

possideat. » Ipse solus « stabilis manet, » dum cætera a præteritis in futura procedunt, » dum « constat genitum nihil; » tandem ipse est omnium exemplar, nam « mundum mente gerens (res conditas), simili in imagine formavit[1]. » His tam expressis verbis non obstantibus, negat Nitzschius Boetium creationem rerum docuisse; quinimo eum intra Metaphysicam « dualismum quemdam[2] » intulisse insinuat. Hæc tam gratuito asserta, tam docto viro minus digna, nulla confutatione indigere videntur.

Iis quæ de Providentia disseruit Boetius diutius inhæreamus necesse est, quia ex hoc fonte non perpauca contra sanam ejus doctrinam argumenta depromunt adversarii. Tria ab oculos habuisse videtur Boetius quæ Providentiæ divinæ cuncta regenti et administranti præcipue objiciuntur : 1° quod existant mala; 2° quod impunita prætereant; 3° quod imperet floreatque nequitia. His tribus difficultatibus quo modo satisfaciat nunc perpendendum.

I. — Jam antea dixerat Epicurus, Lactantio referente : si quidem Deus est, unde mala? Hanc difficultatem his verbis exprimit Boetius : « Ea ipsa est vel maxima nostri causa mœroris, quod quum rerum bonus rector existat, vel esse omnino mala possint, vel impunita prætereant... At huic majus adjungitur : nam imperante florenteque nequitia, virtus non solum præmiis caret, verum etiam sceleratorum pedibus subjecta calcatur, et in locum facinorum supplicia luit[3]. »

---

[1] *De Arith.*, lib. I, c. I. Migne, tom. LXIII, col. 1082. Ille hujus conditor molis Deus primam suæ habuit ratiocinationis exemplar, et ad hanc cuncta constituit.

[2] *Das System des Boethius*, p. 63.

[3] *Cons.* IV, pr. 1.

His quæ objiciuntur ita respondet Boetius, permulta sunt, ait, in præsenti hominum conditione quæ falso mala dicuntur, quæque ex sapientissimis naturæ legibus profluere nemo non videt. « Constat genitum nihil, » mundus « perpetuo suas variat vices[1]. »

Sæpe ferventes aquilo procellas
Verso concitat æquore ;
Sæpe tranquillo radiat sereno
Immotis mare fluctibus.

« Anxia est res humanorum conditio bonorum, et quæ vel nunquam tota proveniat, vel nunquam perpetua subsistat. Huic census exuberat, sed est pudori degener sanguis. Hunc nobilitas notum facit, sed angustia rei familiaris inclusus, esse mallet ignotus. Ille utroque circumfluus vitam cœlibem deflet ; ille nuptiis felix, orbus liberis, alieno censum nutrit hæredi. Alius prole lætatus filii filiæve delictis mœstus inlacrimat. Idcirco nemo facile cum fortunæ suæ conditione concordat[2]. »

Hæc autem omnia ad præsentem hominum conditionem pertinent, in qua dolores ac gaudia miscentur. Si doleant homines de amissione bonorum fortunæ, divitiarum, honorum, famæ, cæterarumque hujus modi, non satis perpendunt quam fragilia, quam caduca sint ista bona. Ergo eorum amissio immerito malum vocatur. « Ullamne humanis rebus inesse constantiam reris, cum ipsum sæpe hominem velox hora dissolvat ? Nam etsi rara est fortuitis manendi fides, ultimus tamen vitæ dies mors quædam fortunæ

[1] *Cons.* II, met. 3 ; pr. 4.
[2] *Cons.* II, pr. 4.

est etiam manentis[1]. » Ex his hominum miseriis illud tantum sequitur, si beatos esse velint, eos summum bonum persequi debere. Probis ac honestis viris mors ne malum quidem existit, nam « mens sibi bene conscia terreno carcere soluta cœlum libera petit[2]. » « Omne terrenum negotium spernit quæ se cœlo fruens terrenis gaudet exemptam. »

II. — Sunt autem homines mali « qui non servant naturam, » qui « scientes volentesque bonum deserunt et ad vitia deflectunt, » qui « avaritia fervent, » « linguam litigiis exercent, » « fraudibus gaudent, » « ira fremunt, » « segnes torpent, » « fœdis immundisque libidinibus immerguntur, » ac sordida voluptate detinentur. »

Hoc malum *morale,* quod solum vere et proprie malum est « nullam habet naturam, » « nihil est. » Qui ergo mali sunt, pure et *simpliciter* esse desinunt. « Nam uti cadaver hominem mortuum dixeris, *simpliciter* vero hominem appellare non possis, ita vitiosos malos quidem esse concesserim, sed *esse absolute* nequeam confiteri; est enim quod ordinem retinet servatque naturam : quod vero ab hac deficit, esse etiam quod in sua natura situm est derelinquit[3]. »

---

[1] *Consol.* II, pr. 3.
[2] *Consol.* II, pr. 7.
[3] *Consol.* IV, pr. 2. Hæc et similia jam Augustinus dixerat : « Malumque illud quod quærebam unde esset, non est substantia : quia si substantia esset, bonum esset (*Confess.*, lib. VII, c. XII). » « Quærendum est quid sit malum... quod nihil aliud est quam corruptio vel modi, vel speciei, vel ordinis naturalis (*de nat. mali cont. Manich.*, c. IV). » Hanc quidem doctrinam de malo confirmant Anselmus et Thomas. « Malum quod est injustitia semper nihil, est... cum itaque audimus nomen mali, non malum quod nihil est timemus sed malum quod aliquid est, quod absentiam boni sequitur (Anselm. *de Casu Diab.*, c. XXVI). — Non potest esse quod malum significet quoddam *esse* aut quamdam formam, aut naturam ; relinquitur ergo quod nomine mali significetur quædam absentia boni (S. Thom. *Sum. Theol.* I p., qu. XLVIII, a. 1 ; Cf. *Cont. Gent.*, lib. III, c. XV, et alibi passim).

« Bonus ille Rector qui certo fine gubernat omnia « respuit cohibere hominum actus, » sinitque homines libero arbitrio abuti. At « ordo ille qui cuncta complectitur reducit ad alium ordinem ea quæ ab ordine adsignato decesserint, ne quid in regno Providentiæ liceat temeritati. » « Providentia illa protulit insigne miraculum, ut malos mali bonos facerent .. sola est enim divina vis cui mala quoque bona sint, cum eis competenter utendo alicujus boni elicit effectum[1]. »

De cætero, mali et improbi contra summum Rectorem rerum prævalere non possunt, ideo sunt impotentes, imbecilles, exagitantur « vitiis discerpentibus conscientiam ; » dumque « sapienti corona nunquam decidet et arescet, » « dum ejus præmium nullus deterat dies, nullius minuat potestas, nullius fuscet improbitas, » « improbis ac malis nequitia ipsa supplicium est[2]. »

Detrahat si quis superbis vani tegmina cultus,
Jam videbit intus arctas dominos ferre catenas.
Hinc enim libido versat, avidis corda venenis,
Hinc flagellat ira mentem fluctus turbida tollens
Mœror aut captus fatigat, aut spes lubrica torquet.

« In his autem tam brevibus vitæ metis expectare longum immortalis animus » nequit. Adsunt « malis supplicia post defunctum morte corpus, et magna quidem, quorum alia pœnali acerbitate, alia purgatoria clementia exerceri puto[3]. »

---

[1] *Consol.* IV, pr. 6.
[2] *Ibid.*, pr. 2 et 3.
[3] *Ibid.*, pr. 4.

Quid, nisi christianum dogma de pœnis alterius vitæ, ista *pœnali acerbitate,* ac *purgatoria clementia* significaverit Boetius? Frustra conantur Obbarius et Nitzschius[1] *hoc fidei christianæ vestigium* ad Platonicorum dogmata referre. Jam sæculo XVI Centuriatores Magdeburgenses[2] confessi sunt Boetium his verbis infernum ac purgatorium designare. Contra Obbarii ac Nitzschii sententiam apposite jam monuerat Suttnerus[3] « Platonicos, si D. Augustino[4] credendum, pœnas *omnes* ut *purgatorias* censuisse, neque duplicem pœnam post malorum mortem statuisse.

Idcirco neque malorum existentiam, neque hanc, quæ videtur malorum impunitatem sapientissimo divinæ Providentiæ regimini opponere licet. Quid autem de inæquali bonorum ac malorum inter homines distributione censendum? Nam « imperat floretque nequitia, et virtus non solum præmiis caret verum etiam sceleratorum pedibus calcatur, et in locum facinorum supplicia luit[5]. »

---

[1] *Das System des Boethius*, p. 81 ; Obbarius, *Proleg.* p. XXXV.

[2] *Cent.* VI, p. 278 et 702. Edit. Basil. 1559.

[3] *Boethius der letzte Rœmer*, p. 22, note 36. Hanc platonicam doctrinam præclaris hisce versibus exornat Virgilius (Eneid., lib. VI, v. 743).

Quisque suos patimur manes. Exinde per amplum
Mittimur Elysium, et pauci læta arva tenemus :
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem
Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno.

[4] Licet Plato ipse ut ex quibusdam locis *Phœdri*, *Phœdonis, Reipublicœ* et *Gorgiœ* liquet, pœnas æternum duraturas admisisse videatur, certum est Platonicos aliter de his decrevisse. Ex Platonicis enim errorem suum de inferno olim evacuando hausit Origenes. Hunc et Platonicos confutat D. Augustinus (*de civit. Dei ;* lib. XXI, c. XVII). Errorem Platonicorum notat, c. XIII, his verbis : « Platonici quidem, licet impunita nulla velint esse peccata, tamen *omnes pœnas* emendationi adhiberi putant, vel humanis inflictas legibus, vel divinis, sive in hac vita, sive post mortem... »

[5] *Consol.* IV, pr. 1.

III. — Hæc si vera essent nondum sequeretur ex his ordinem universi perturbatum esse nec a sapientissima Providentia optime administrari. Etenim si quæstio est de imperio malorum, certum est « despectiores potius improbos dignitatem facere ;... namque improbi dignitates sua contagione commaculant[1]. » Non ideo sunt felices quia potentes. « Quæ est hæc potestas quæ sollicitudinum morsus expellere, quæ formidinum aculeos vitare nequit?... Quæ est ista potentia quam pertimescunt habentes, quam nec cum habere velis tutus sis, et cum deponere cupias, vitare non possis[2]? »

Sed negandum est malis semper adesse potentiam ac bonos esse cunctis viribus et felicitate desertos. « In hac dispositissima domo patrisfamilias non vilia vasa coluntur, non pretiosa sordescunt[3]. » Bonis felicia etiam, malis

---

[1] *Consol.* III, pr. 4.
[2] *Ibid.*, pr. 5.
[3] Hæc verba (*Cons.* IV, pr. 1) : « Ipso de cujus regno loquimur auctore, » explicanda relinquimus iis qui negant Boetium ad fidem christianam pertinere ; manifestum est hæc verba ad revelationem divinam alludere, necnon et verba : « In tanti velut patrisfamilias dispositissima domo vilia vasa colerentur pretiosa sordescerent. Sed non ita, » quæ desumuntur ex II ad *Tim.*, c. II-XX : In magna autem domo, non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia...

Queritur Nitzschius nullum apud Boetium reperiri vestigium historiæ biblicæ circa mali originem, nullibi de pèccati universalitate, de peccato originali, ac de necessitate Redemptionis quæstionem esse in libro *Consolationis* (p. 68). At doctor lipsiensis immerito et inordinate queritur. Non patitur Boetium esse merum philosophum, ut melius possit eum ut theologum explodere. Indignatur Boetium non asserere, ut docent Reformationis theologi, « hominem esse *radicaliter vitiatum* ac corruptum (p. 68), » sed dicere homines, licet « a patria exules, » e « nobili germine editos » esse, « plures » esse malos, non autem *omnes*, eos peccare « ex inscitia bonorum, ex ignorantiæ cæcitate, ex errore, veluti ebrii qui tramitem quo domum revertantur, ignorant » tandem ex « pondere corporeæ molis » a qua prægravantur. Hæc omnia, quæ ad exactissimam fidei catholicæ normam dicuntur a Boetio nostro, cum Lutheranorum placitis minime concordant. Sed quid ad nos? Non lutheranum theologum, sed catholicum virum Boetium vindicandum suscepimus.

semper infortunata contingere certum est. Vitiosorum hominum patet infirmitas, qui, cum naturali intentione ad bonum pervenire nituntur, ne hoc quidem adipisci possunt. In qua re bonorum vires eminent, nam finem expetitum apprehendunt[1].

An ideo fortuitis casibus[2] omnia perturbata ac mixta credendum quia bonis aspera malisque jucunda eveniant? Minime. Nam quamvis causam tantæ dispositionis ignores, certum est, bono rectore mundum temperante, recte cuncta fieri. Dum enim singula digerit mobilia, locis, formis ac temporibus distributa, suis quæque nectit ordinibus divina Providentia ut ad bonum cuncta dirigantur. Deus est medicator mentium. « Dum ea quæ protulit in sui similitudinem retinere festinat, malum omne de reipublicæ suæ terminis per fatalis seriem necessitatis eliminat. Quo fit ut, quæ in terris abundare creduntur, si disponentem Providentiam spectes, nihil usquam mali esse perpendas[3]. » Medicus ille quosdam ægros lenibus, quosdam acribus adjuvat. Aliis mixta quædam pro animorum qualitate distribuit : quosdam remordet, ne longa felicitate luxurient; alios duris agitari sinit, ut virtutes animi patientiæ usu atque exercitatione confirmet[4]. « Quare vir sapiens moleste ferre non debet, quoties in fortunæ certamen adducitur; ut virum fortem non decet indignari quoties increpuit bellicus tumultus[5]. » Cum omni fortuna prælium est conserendum;

---

[1] *Consol.* III, pr. 2.

[2] De *Casu* decernit Boetius ut Aristoteles ipse : « Improvisus inopinatusque concursus causarum, casus vocatur. Cur autem confluant ac concurrant causæ, facit ille ordo inevitabili connexione procedens (*Consol.* V, pr. 1).

[3] *Consol.*, IV, pr. 6.

[4] *Ibid.*, pr. 6.

[5] *Ibid.*, pr. 7.

« omnis enim quæ videtur aspera, nisi aut exercet aut corrigit, punit. » Superest autem cœlum ut requies tranquilla piis ac justis; post exantlatos labores cœlum fuit ultimum Herculi præmium :

Ite num fortes ubi celsa magni
Ducit exempli via. Cur inertes
Terga nudatis? Superata tellus
Sidera donat[1].

Dum enim Providentia singulariter stabiliterque facienda disponit, in ipsa divinæ intelligentiæ puritate ac simplicitate, *fato*, ut a veteribus appellatum est, hæc ipsa quæ disponit multipliciter ac temporaliter administrat. Tantum abest ut hæc ad neo-platonicorum placita pertineant, sicut Nitzschio[2] placet, ut econtra apprime cum doctrina christiana concordent[3].

---

[1] *Consol.*, IV, met. 7.

[2] *Loc. cit.*, p. 62. Fingit Nitzschius Fatum esse apud Boetium « secundam divinitatem » eo quod in centro circuli « primam divinitatem » locaverit Boetius.

[3] Hanc quæstionem ex ipsis Boetii verbis ita resolvit D. Thomas : « Respondeo dicendum quod divina Providentia per causas medios suos effectus exequitur. Potest ergo ipsa ordinatio effectuum dupliciter considerari. Uno modo secundum quod est in ipso Deo : et sic ipsa ordinatio effectuum vocatur *Providentia*. Secundum vero quod prædicta ordinatio consideratur in mediis causis a Deo ordinatis ad aliquos effectus producendos, sic habet rationem *fati;* et hoc est quod Boetius dicit in IV *de Consol. :* « Sive famulantibus quibusdam Providentiæ divinis spiritibus fatum exercetur, seu anima, seu tota inserviente natura, seu cœlestibus siderum motibus, seu angelica virtute, seu dæmonum varia solertia, seu aliquibus horum, seu omnibus, fatalis series texitur (*Sum., Theol.*, I p., qu. CXVI, a. 2). » Ex eo quod dæmones inserviant divinæ Providentiæ Boetium calumniatur Nitzschius (p. 48), asserendo hæc polytheismum sapere; audiat autem Augustinum dicentem : « Illic enim in cœlesti patria *Dei voluntas utitur* » *omnibus* ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ, sive incorporeis, sive » corporeis rebus, sive rationabilibus, sive irrationabilibus spiritibus, sive bonis » per ejus gratiam, sive malis per propriam voluntatem (*de Trinit.*, lib. III, c. IX). » — Quoad « primam divinitatem » et « inaccessam lucem » et « divinam

Doctrinam de libero hominis arbitrio, quod velut totius ordinis moralis caput ac fundamentum existit, fideliter tradit Boetius permultis in locis suorum operum. In libro de *Interpretatione* ita disserit : « Nos enim liberum arbitrium ponimus, nullo extrinsecus cogente in id, quod nobis faciendum vel non faciendum judicantibus, perpendentibusque videatur[1]. » Eamdem doctrinam tenet in *Consolatione*. « Est, inquit, nostri arbitrii libertas, neque enim fuerit ulla rationalis natura, quin eidem libertas adsit arbitrii... Quare quibus inest ratio, inest etiam ipsis volendi nolendique libertas. Sed hanc non in omnibus æquam esse constituo[2]. »

Quinam vero sint varii in homine libertatis gradus explicat sequentibus verbis : « Humanas vero animas liberiores esse necesse est, cum se in mentis divinæ speculatione conservant : Minus vero, cum dilabuntur ad corpora ; minusque etiam, cum terrenis artubus colligantur. Extrema vero est servitus, cum vitiis deditæ rationis propriæ possessione ceciderunt. Nam ubi oculos a summæ luce veritatis ad inferiora et tenebrosa dejecerint, mox inscitiæ nube caligant, perniciosis turbantur affectibus, quibus accedendo consentiendoque quam invexere sibi

---

profunditatem, » Nitzschio sequentia commendamus : « Boetius in V *Consol.*, figurat multos circulos, *in quorum centro*, ordo et causa est fati et fatalium ; et in circulo distante... est contingentia et mutabilitas per esse generatorum et corruptorum ; et sic est dispositio esse et vitæ in mente *motoris primi* quem explet circulus juxta causatum propinquior (S. Thom., *Opusc.* XXIV *de Fato*). » — De *inaccessa luce* dicit Paulus « qui lucem inhabitat inaccessibilem (I, *Tim.*, VI, 16) ; » de *profunditate Dei* idem Paulus : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei (*Rom.*, II, 33). »

[1] Migne, t. LXIV, p. 492.

[2] *Consol.*, V, p. 2.

adjuvant servitutem, et sunt quodam modo propria libertate captivæ[1]. »

Quæ verba contra Boetium ex duplici capite inducuntur; 1° quasi opinionem de animarum præexistentia contineant; 2° quasi de corpore æthereo, juxta Proclum, ut ait Nitzschius (p. 74), doctrinam tradant. Jam vero fatendum est hunc locum Boetii obscuriorem esse quam ut aliquid certi contra christianam auctoris professionem inde eruatur. Quidquid reclamaverit Nitzschius, certum est opinionem de præexistentia animarum tempore Boetii inter liberas opiniones numeratam fuisse, ut infra patebit. Variæ autem a diversis auctoribus supradicti loci expositiones datæ sunt, ut videre est apud Migne, quibus nostram qualemcumque adjunctam volumus. Quatuor juxta Boetium dantur libertatis humanæ gradus; quorum primus est gradus animarum sapientum, quæ seipsas in divinarum rerum speculatione seu meditatione conservant, et quam maxime supernas divinasque substantias imitantur. Ad hunc gradum referuntur hæc Boetii verba : « Cujus (Dei) agi frenis atque obtemperare justitiæ summa libertas est[2]. » Ab hac libertate longissime distat status animæ vitiis deditæ, ac quodam modo propria libertate captivæ, de quo illud legitur in sacris christianorum scripturis : « Qui facit peccatum, servus est peccati[3]. Remanent duo gradus intermedii libertatis, nempe eorum qui « ad corpora dilabuntur » id est, a divinarum rerum speculatione distracti, ad rerum sensibilium cognitionem descendunt et in ea detinentur. Nam

---

[1] *Consol.*, V, p. 2.
[2] *Cons.*, I, pr. 2.
[3] *Joan.*, VIII, 34.

formæ rerum materialium, ut ait D. Thomas[1], supra ipsas effunduntur, ac dum mens eas cognoscit, ad corpora effuditur ac dilabitur. Est etiam gradus eorum qui ad inferiora tenebricosaque oculos dejicientes « terrenis artubus » id est sensuum instrumentis tantum utuntur in rerum cognitione, quique mox inscitiæ nube caligant, perniciosis turbantur affectibus, et ad intelligibilia et divina nequeunt mentis oculos sublevare, juxta illud *Sapientiæ*[2] effatum : « Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. » Ita ne verbum quidem occurrit circa animarum præexistentiam, et corpus æthereum, juxta Proclum, ut Nitzschio et aliis quibusdam videtur.

Maximum pondus posuit Boetius in solvenda quæstione concursus Præscientiæ divinæ cum libero hominis arbitrio. Hanc materiam pertractat toto fere libro quinto *Consolationis*, et etiam in Libro III *de Interpretatione*[3].

Certum est, ait Boetius, divinam Providentiam latere non posse quidquid est futurum, ac scientiam istam Dei de futuro non esse meram opinionem, sed scientiam falli nesciam, nec tantum esse de rebus quæ necessario eveniunt, sed etiam de consiliis ac voluntatibus hominum.

---

[1] *De verit.*, qu. II, a. 2, ad 2m.

[2] *Sap.*, IX, 15; similia leguntur apud Paulum : « Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei (I, *Cor.*, II, 14); cf. *Cons.*, III, met. 9, v. 25.

Disjice terrenæ nebulas et pondera molis.

[3] Migne, t. LXIV, p. 506. Utrum autem si omnia futura sciat Deus, omnia esse necesse est, ita quæramus. Si quis dicat Dei scientiam de futuris eventuum subsequi necessitatem, is profecto conversurus est, si omnia ex necessitate non contingunt, omnia Deum scire non posse... Novit enim futura Deus, non ut ex necessitate evenientia, sed ut contingenter, ita ut etiam aliud posse fieri non ignoret, quod tamen fiat ex ipsorum hominum et actuum ratione persciscat.

Certum est etiam ea quæ a Deo ut ventura prævidentur certo evenire, ita ut eventus præscitæ rei nequeat evitari. Non autem prævidentur ista futura ut aliquid *prius* scientia divina, secus aliquid extrinsecum diceretur causam esse scientiæ Dei. Si autem prævidentur ut aliquid *prius* consiliis ac voluntatibus hominum, jam tollitur humana libertas, frustra bonis præmia, malis pœnæ proponuntur, non jam sunt vitia, nec virtutes ; aufertur etiam « unicum illud inter homines Deumque commercium, sperandi scilicet et deprecandi. Quid sceleratius excogitari potest ?

Audiamus nunc hujus tam intricati nodi solutionem.

Libertas arbitrii Dei præscientia nullo modo impeditur nam :

1° Prænotio nullam futuris rebus adjicit necessitatem ; est tantum *signum* quod ostendit quid sit, non vero efficit quod designat. Sicut ergo « scientia præsentium rerum nihil his quæ fiunt, ita præscientia futurorum nihil his quæ ventura sunt necessitatis importat. »

2° « Omne quod cognoscitur non secundum sui vim, sed secundum cognoscentium potius comprehenditur facultatem. » « Eamdem corporis rotunditatem aliter visus, aliter tactus agnoscit. » « Aliter sensus, aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intelligentia ipsum hominem contuetur. » « Quo fit ut ea notitia cæteris præstet quæ suapte natura non modo proprium, sed cæterarum quoque notitiarum subjecta cognoscit. » Igitur si humana ratio futura non agnoscit, non ideo putet ea divinam intelligentiam non intueri ; justissimum est ergo rationem humanam sese divinæ menti submittere ; nam in illius summæ intel-

ligentiæ cacumine certa ac definita prænotio est etiam eorum quæ certos exitus non habent[1].

3° Si dicas : Iste actus a Deo præscitur, ergo *necessario* eveniet, in alio sensu verum, in alio falsum deprehenditur. Quod enim a Deo præscitur *certo* eveniet, sive sit liberum, sive sit necessarium, nam scientia Dei falli non potest. Quod autem a Deo præscitur non ideo *necessarium* fiet necessitate existendi. « Duæ enim sunt necessitates, simplex una, altera conditionis, seu *hypothetica,* ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. » Ergo actus hominum ac consilia voluntatis humanæ « relata ad intuitum divinum, necessaria fiunt per conditionem divinæ notionis ; per se vero considerata, ab absoluta naturæ suæ libertate non desinunt. » « Fient igitur procul dubio cuncta quæ futura Deus esse prænoscit, sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio. » « Itaque si præscientiam pensare

---

[1] Doctrinam Boetii dilucidius explicat S. Thomas (*Sum. Cont. Gent.*, lib. I, c. LXVIII). Omnia igitur Deus cognoscit, suam essentiam cognoscendo ad quæ sua causalitas extenditur. Extenditur autem ad operationes intellectus et voluntatis.... Cognoscit igitur Deus et cogitationes et affectiones mentis.... Dominium autem quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum et molestiam causæ exterius agentis. Non autem excludit influentiam superioris causæ, a qua est ei esse et operari, et sic remanet causalitas in causa prima, quæ Deus est, respectu motuum voluntatis, ut sic Deus seipsum cognoscendo hujusmodi cognoscere possit. — Hæc luculenter explicat Gonet. « Deus cognoscit in sua essentia etiam liberos hominum actus. Non pendet ergo ista cognitio a voluntatis humanæ determinatione, tanquam ab aliquo medio *a posteriori ;* nec *requiritur etiam* quod illam determinationem *omnibus modis et in omni genere causæ antecedat*, sed sufficit quod illam præcedat *in aliquo priori naturæ* et instantis *a quo*, in aliquo genere causæ, quamvis *in alio genere supponat et subsequatur.* Quod dicitur de prænotione vel præscientia Dei valet etiam de prædeterminatione. Licet enim, *in aliquo genere causæ*, concursus Dei ad actus malos et peccaminosos hominum et angelorum sit *prior* determinatione voluntatis creatæ, *in alio tamen est ea posterior*, et ab illa pendet modo explicato, subindeque postdefinitio et postdeterminatio appellari potest (*Clypeus thomisticus*, de Deo, *Tr.*, IV. *Disp.* VIII, n° 254). »

velis qua cuncta dignoscit Deus, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ rectius æstimabis. »

4° « Quæ cum ita sint, manet intemerata mortalibus arbitrii libertas. Manet etiam spectator desuper cunctorum præscius Deus ; visionisque ejus præsens semper æternitas cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit. Nec frustra in Deo spes precesque nostræ positæ sunt. »

Ita pro virili parte difficilem hanc quæstionem solvit Boetius. Qui autem illum neoplatonico dogmati adhærentem opinantur, Procli et Anicii nostri solutionem inter se conferant. Sufficiat hæc tantum ex ipso Nitzschio describere : « Dii, ait Proclus, meliores sunt omnibus ; ideo norunt omnia, non quidem convenientiori sed superiori modo, temporalia antetemporaliter, corporalia incorporaliter, materialia immaterialiter, *libera ut necessaria,* instabilia, stabiliter[1]. » At omnino impossibile est ex istiusmodi figmentis tam sanam, luculentamque Boetii nostri doctrinam tanquam e suo fonte deducere.

Nunc ad Ethicam Boetii breviter exponendam pergamus. Nullus, ut opinor, hanc partem calumniatus est nisi Judicis de Mirandol[2]. Hunc si audias, pantheistica dogmata te-

---

[1] Hæc Nitzschius (p. 76) desumit ex Proclo, *de Provid.*, c. L et seq.

[2] *Introd.*, p. LII. « On a dit avec raison que le panthéisme était impuissant à fonder une morale.... Il faut suivre Boèce pas à pas dans la marche habile et presque insidieuse de sa dialectique pour comprendre comment la moindre déviation... peut conduire aux conséquences les plus inattendues. C'est par une déviation de ce genre que Boèce parvient à établir un lien, assez fragile, il est vrai, entre l'homme et le Dieu qu'il nous a montré. L'idée de Dieu, selon lui, est adéquate à celle du souverain Bien et c'est sur l'identité absolue *de ces deux substances* (!!!), car tel est le nom qu'il donne au souverain Bien comme à Dieu, qu'est fondé tout son système en morale. » Mirum prorsus argumentum ! Si substantia summa Boni et substantia Dei sunt una eademque substantia, juxta Boetium ; ergo jam non sunt *duæ substantiæ*, ut cavillatur D. Judicis de Mirandol.

nuisset Boetius, ac non nisi insidiosa ac sophistica via ethicam doctrinam tradere potuisset. Nihil magis veritati adversatur.

Omnis mortalium cura, ait Boetius [1], quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso quidem calle procedit, sed ad unum tamen beatitudinis finem nititur pervenire... Inest enim mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas. Sed ad falsa devius essor abducit... sunt qui summum bonum in divitiis possunt, alii in adeptis honoribus, alii in summa potentia, alii in gloria nominis ex belli vel pacis artibus parta, alii in gaudio lætitiaque, alii demum in voluptate. In his igitur sunt quidem bona, sed non verum et summum bonum, id est bonum quo quis adepto nihil ulterius desiderare queat. Etenim divitiæ possunt auferri ac dum habentur ostendunt inopiam ac indigentiam possidentis. Honores non venerandos faciunt, sed virtutes. Idem dicendum de regno, de potentia, de gloria, de fama. Corporis voluptates « feriunt corda morsu. » Ergo falsa in his omnibus beatitudinis species, quinimo dolores ac molestiæ.

Deflectendus est igitur mentis intuitus in id bonum quod unumquemque nostrum sufficientem, potentem, celebrem, verendum, lætumque perficiat. Id autem bonum, seu iste fons bonorum solus Deus est. Ipse nos beatos facit, quia est ipsa substantia beatitudinis.

Qua autem via ad illum summum bonum tendere licet? — Omnem rerum mortalium cupidinem de nostri animi sede pellendum, ac quotidie pythagoricum illud : ἕπου θεόν, moribus et vita præferendum.

---

[1] *Cons.*, III, pr. 2 et seq.

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat arva prius fruticibus,
Falce rubos, filicemque resecat...
Tu quoque falsa tuens bona prius
Incipe colla jugo retrahere,
Vera dehinc animum subierint [1].

« Quid vero aliud animorum salus videtur esse quam probitas? Quid ægritudo quam vitia? Quis autem alius vel servator bonorum vel malorum depulsor quam Rector ac Medicator mentium Deus [2]? » « Invocandum rerum omnium Patrem, quo prætermisso nullum rite fundatur exordium [3]. » « Non frustra sunt in Deo positæ spes precesque, quæ cum rectæ sunt, inefficaces esse non possunt [4]; » « Siquidem justæ humilitatis pretio inestimabilem vicem divinæ gratiæ promeremur [5]. » « Adversamini igitur vitia, colite virtutes, ad rectas spes animum sublevate, humiles preces in excelsa porrigite [6]. » « Manet intemerata libertas [7]; » « Dei agi frenis atque obtemperare justitiæ, summa libertas est [8]; » « nec iniquæ leges solutis omni necessitate voluntatibus præmia pænasque proponunt [9]. » « In his tam brevibus vitæ metis non est aliquid ita serum quod expectare longum immortalis præsertim animus putet [10]. » « Non toti moriuntur homines, mens vero bene sibi conscia, terreno carcere soluta, cœlum libera petit [11]. » « Magna ergo vobis est necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis judicis cuncta cernentis [12]. » Ergo Deus, ita deprecandus :

Da, Pater, augustam menti conscendere sedem,
Da fontem lustrare boni, da, luce reperta,

---

[1] *Cons.*, III, m. 1. — [2] *Cons.*, IV, pr. 6. — [3] *Cons.*, III, pr. 9.— [4] *Cons* , V, pr. 6. — [5] *Cons.*, V, pr. 3. — [6] *Cons.*, V, pr. 6. — [7] *Ibid.*— [8] *Cons.*, I, pr. 5. — [9] *Cons.*, V, pr. 6. — [10] *Cons.*, IV, pr. 4. — [11] *Cons.*, II, pr. 7. — [12] *Cons.*, V, pr. 6.

In te conspicuos animi defigere visus.
Disjice terrenæ nebulas et pondera molis,
Atque tuo splendore mica ; tu namque serenum ;
Tu requies tranquilla piis, te cernere finis,
Principium, Vector, Dux, Semita, Terminus idem [1].

Hæc quantum Platonis, Aristotelis, neoplatonicorum ac stoicorum inventa et tradita superent advertere omnino superfluum. Adeant qui dubitant hæc ponderosa de doctrina morum volumina, a Petro Lombardo, a D. Thoma, et aliis e Schola conscripta, quæ eamdem Boetii methodum, eadem principia, easdem definitiones, eamdem rerum seriem, easdem rationes referentia, ad posteros usque venerabunda et nusquam superata transierunt.

Liceat nunc summarium quoddam de Boetii philosophia proferre judicium. Doctrinam rectam, sanam, elegantibus versibus ornatam tradidit Boetius de Philosophiæ vi ac natura, de nostrarum cognitionum origine, de cosmologia et ethica. Eum ad gentilitatem pertinere non amplius affirmare audent adversarii, ipsum vero ut *Eclecticum* [2] exhibent, qui optimum quodque in philosophia græco-romana sparsum ad nos transmiserit. Annon id Boetio summæ laudi superest quod errorum monstra devitaverit, et inter platonica atque peripatetica dogmata tam subtilem ac felicem electionem instituerit? Annon Boetii ob oculos adstitisse videtur fidei christianæ regula, quæ tanquam frenum cogitationibus imponeret, et a recto tramite aberrantem ad veritatis viam reduceret? Certe christianum virum sapiunt quæ disseruit Boetius de paterna Dei in miseros

---

[1] *Cons.*, III, m. 9.
[2] Nitschius, p. 84 : Es bleit dabei, dass Boethius kein christlicher Theolog, sondern ein eklektischer *Philosoph* ist.

providentia, de mala, ut vocant, fortuna, quæ aut punit aut exercet aut corrigit. Hanc Boetii philosophiam a fide christiana toto cœlo distantem opinatur Nitzschius; eo quod Anicius noster non Christum, non sacros Libros in medium attulerit. Offenditur eo quod in carcere positus Boetius sese ad philosophiam non ad fidem converterit. Ast Nitzschium rogare liceat, qua lege prohibetur ne vir christianus in carcere positus, ac professione philosophus, philosophiam in solatium vocet. Quis autem Nitzschio affirmaverit Boetium qui tam pie ac frequenter cæteris commendat ut Deum deprecentur, neque preces ad Christum direxisse, neque e sacrarum Librorum lectione robur ac constantiam quibus fortiter mortem subiret, hausisse? Eos tandem qui nullum fidei christianæ vestigium in Consolatione philosophia agnoscere volunt, ad opera theologica remittimus, quorum authentia a nobis demonstranda remanet[1].

---

[1] Liceat nobis in medium afferre quæ de Boetio scripsit Doctor Puccinotti, professor medicinæ, in sua *Storia della medicina*, Pisa 1860, quæque apprime cum nostra thesi concordant.

Tria maxime extollit Boetii merita (lib. V, p. 27) D. Puccinotti : 1° Philosophiam græcam expurgavit Boetius, explodendo hanc paganismi, orientalismi ac judaismi mixtam doctrinam quæ sub nomine *philosophiæ alexandrinæ* tradebatur; 2° Quæstionem movit *de Universalibus*, et ipsam detulit e scholis græcis ad forum romanum ; 3° Hac autem quæstione ad modum soluta, conclusiones suas adhibuit ad explicandas difficillimas de summo Bono ac de sancta Trinitate quæstiones. Ita sonat docti Puccinotti, conclusio (p. 130) : « Alexandrina philosophia (scilicet Neoplatonismus Ammonii, Plotini et aliorum) est turpissima humanæ superbiæ et arrogantiæ aberratio ; e contra Boetii philosophia humilitatis ac modestiæ exemplar. Ex *Consolatione philosophiæ* facile colliguntur singula quæque philosophiæ sic dictæ *christianæ* principia; ita ut quicumque in hoc libro, *Poemetto*, paganismum detegere constituerit, aut ignorantia, aut errore, aut præjudicata opinione laboret, aut ex perverso consilio alios decipere tentet. » Hoc vocabulum *Poemetto* nobis in memoriam revocat alium in eadem fere poetica forma concinnatum librum, cui titulus : *Les aventures de Télémaque*, a christiano quodem auctore conscriptum, et quidem ab episcopo scientia ac pietate præstantissimo. Quis unquam Fenelonio nostro crimini dedit quod de Christo et de religione christiana per totum suum librum ne ullum verbum quidem protulerit ?

TERTIA PARS.

DE BOETIO THEOLOGO.

Jam antea monuimus illud maxime mirum et absonum videri, si Boetius qui inde a natalibus in fide christiana enutritus, præclarissimis ingenii dotibus exornatus, ad dignitates senibus negatas adolescens provectus fuerat, amicis Symmacho ac Johanne diacono Christum suadentibus, theologiæ christianæ studium prorsus omiserit, atque ab hujus altissimæ scientiæ et sacræ doctrinæ studio alienus vixerit. Nihil certe magis decebat philosophum de summo et optimo Deo tam recte sapientem; nihil magis senatorem exornabat qui ad quosdam peritorum ac piorum virorum conventus advocatus, de quæstionibus ad sacram theologiam pertinentibus verbis et scriptis cum clero romano agitare poterat[1]. Maxime necessarium fuit theologiæ stu-

[1] Boetius, utpote Urbis Patricius, iis incumbere debuit quæ in senatu, in hoc « litterarum sacrario, » in hoc « libertatis gremio, » ut ait Cassiodorus, maximam laudem obtinebant. Senatus autem non semel de rebus theologicis quæstiones movit et a controversiis circa sacram doctrinam haud alienus exstitit. Testis est : 1° Epistola presbyteri Trifolii ad senatorem Faustum, anno 518 conscripta (Migne, tom. LXIII, col. 533); 2° Conventus Romæ habitus sub Leone Magno Pontifice, anno 447, ob Manichæorum hæresim, de quo scribit Pontifex ad Turribium episcopum Asturicensem, his verbis : « Manichæorum turpitudinem ad publicam fecimus pervenire notitiam, ne ullo modo possit dubium videri quod in judicio nostro, cui non solum frequentissima præsentia sacerdotum, *sed etiam illustrium virorum dignitas, et pars quædam senatus* ac plebis interfuit, ipsorum qui omne facimus perpetrarunt, ore reseratum est (*Ep.*, XV); » testis est

dium, eo præsertim tempore, quo ariana hæresis, sub Gothorum imperio, Italiam invaserat, atque in Oriente, eutychiana pestis, favente imperatore Anastasio, violenter crudeliterque sæviebat.

Ex his jam fit non levis conjectura genuina esse opuscula theologica quæ Boetio adscribuntur, de quibus nunc nobis dicendum. Quinque capitibus potissimum rem nostram absolvemus, disserentes : 1° de Boetii theologicis opusculis ; 2° de omnium ætatum circa hæc opuscula traditione ; 3° de rationibus contra eorum a Boetio originem allatis ; 4° de confutatione Th. Obbarii, C. Jourdain et Nitzschii ; de intima inter philosophica et theologica Boetii opera connexione.

CAPUT PRIMUM.

DE BOETII THEOLOGICIS OPUSCULIS.

Circa duodecim codices continent ea quæ hunc exstant Severini Boetii opuscula ad theologiam pertinentia. Ex his duo præsertim notantur qui a celebri olim Bobbiensi monasterio proveniunt, circa annum 610 a S. Columbano fundato. Hic floruit, jam inde a primo post Boetii mortem sæculo doctissima ac nobilissima Benedictinorum mona-

---

3° Congregatio illa, Romæ adunata, anno 544, ad præviam recitationem audiendam Carminis cujusdam poetæ, Aratoris nomine, subdiaconi Ecclesiæ romanæ, antequam opus divulgaretur. Quæ congregatio litteratis, doctis ac religiosis viris constans, per plures dies et repetitis vicibus habita est (Migne, tom. LXIV, col. 1340, *Not.*).

chorum familia, quæ his temporibus firmissimum exstitit contra arianos fidei orthodoxæ propugnaculum, et disciplinæ ecclesiasticæ observantissima ac frequentissima schola. Bibliotheca bobbiensis per totum medium ævum percelebris exstitit, et doctus Muratori codicum 700, qui adhuc sæculo x° hic asservabantur, catalogum dedit. Inter quos supersunt duo codices Boetiani, nunc Mediolani in ambrosiana librorum collectione depositi, e Bobbio asportati[1], qui, præter librum de *Consolatione* singula continent opuscula theologica, et quidem ordine sequenti : 1° Liber *de Trinitate ;* 2° Liber de tribus personis, seu *Utrum Pater,...* etc. ; 3° Liber *Quomodo substantiæ* seu *de Hebdomadibus ;* 4° Libellus *de Fide catholica ;* 5° Liber de duabus naturis *Contra Eutychen et Nestorium.* Hi autem codices, si recentioribus ac peritissimis paleographistis fides adhibenda est, ad sæculum IX certo pertinent[2].

Supersunt et alii optimi codices a recentissimo Boetii editore Peiper recensiti, qui opuscula theologica pariter referunt, plus minusve diligenter, inter quos notentur : 1° Codex Tegernseensis a Benedictinorum monasterio Tegernsee in Bavaria, nunc in monacensi bibliotheca repositus (Munich). Hic codex, sæc. X, continet quatuor opuscula

---

[1] Montalembert, *Les Moines d'Occid.*, tom. II. « Le palimpseste de la vaticane d'où le génie de la patience, personnifié dans le cardinal Maï a tiré le *de Republica* de Cicéron, provenait de cette bibliothèque, et cet illustre parchemin porte encore l'inscription : *Liber Sancti Columbani de Bobbio.* Hæc eadem verba leguntur etiam in uno codice Boetiano bibliothecæ Ambrosianæ, Mediolani.

[2] *Theolog. Literaturblatt*, Bonn., 1870, col. 804. Idem adstruit unus e recentioribus *Patrum latinorum* editoribus, Aug. Reifferscheid, qui in sua Ambrosianæ bibliothecæ descriptione diserte demonstrat codicem Boetianum quatuor theologica Boetii opuscula continentem e Bobbio provenire et ad sæculum X pertinere. Wien, Gerold, 1871.

theologica cum libro de *Consolatione*; 2° Codex *Einsidlensis* in monasterio Benedictinorum Einsiedeln in Helvetia nunc asservatus, nº 235. Continet autem sequentia opuscula : De Trinitate, usque ad p. 42 ; ad Joannem diaconum Ecclesiæ romanæ, ad p. 55 ; Quomodo substantiæ, ad p. 57 ; Liber contra Eutychen, ad p. 62 ; de fide catholica ejusdem, incipit : Christianam fidem, ad p. 87. Hic autem codex pertinet ad sæculum X. Ad Librum de Trinitate commentarius quidam accedit[1]. Notentur adhuc duo Bernenses codices, sæc. IX et XI, qui ambo quinque opuscula theologica in ordine consueto continent : Codex Gothanus, sæc. XI vel XII, primo loco ponit quinque opuscula, deinde librum de *Consolatione;* demum codices parisini, dicti olim *regii,* quos exscripsit Vallinus, in sua editione ad usum Delphini ; idem fecerunt recentissimi editores gallici inter quos Migne, anno 1847.

Non conveniunt forsan singuli codices et editores circa titulos vel inscriptiones Boetii opusculorum. Conveniunt autem omnes circa titulum et materiam duorum quæ inter cætera eminent, tum sublimitate quæstionis, tum amplitudine operis, libri scilicet *de Trinitate* ad Symmachum socerum, et libri *Contra Eutychen et Nestorium,* ad Johannem diaconum. Præter Boetium nullus alius nec nominatur quidem, qui horum opusculorum ut auctor genuinus assignetur. Perpensis itaque rationibus quæ ab adversariis afferuntur, præsertim a Nitzschio et Obbario, firmiter

---

[1] Non sat diligenter notat Peiper (*Introd.*, p. XIX), « libellum de fide Christiana secundum locum tenere » in codice Einsiedlensi. Hic libellus, ut ipse propriis oculis vidi ac manibus contrectavi, ultimum occupat locum.

accedimus recensionibus editorum Migne et Peiper, quæ nobis fidem faciunt in hac nostra disquisitione.

CAPUT SECUNDUM.

DE OMNIUM ÆTATUM CIRCA BOETII OPUSCULA TRADITIONE.

Recentioribus hisce temporibus a quibusdam in arte philologica versatissimis viris opuscula theologica Boetio abjudicata sunt. Quonam fundamento, quibusve rationibus ita decretum fuerit, dicetur postea; liceat nunc in medium afferre nobilissimam hanc ex omnibus ætatibus testium coronam, qui inde a sæculo sexto pro genuina istorum operum a Boetio origine unanimem quasi vocem attollunt.

De Boetio ac Symmacho, ut christianis et catholicis viris, jam scripserunt Ennodius (ann. 473-521) in octo, et Cassiodorus (+ circ. 562) in duodecim Epistolis, nec non S. Avitus (+ 525), viennensis episcopus, ille etiam auctor Anonymus dictus *Valesianus,* Boetio cætaneus. De iisdem narrat Procopius (+ 565), ac S. Gregorius Magnus (540-590); narrant etiam de Boetii ac Symmachi vita et ultimis fatis Acta sanctorum. Extabat Papiæ usque ad annum 1584, turris latericia, dicta « Turris Boetii, » in qua, tota civitate testante, inclusus fuerat venerandus vir Boetius. Exstat in Ecclesia basilica Monzæ, in Italia, tabula eburnea, anaglyptica, opus, artificis sæculi sexti, cui Boetii imago insculpitur cum hoc epigrammate : *In fide Jesu maneam.* Quæ monumenta omnia intra sæculum sextum

incidunt. Nullum quidem directum argumentum pro genuina Boetii opusculorum origine ex iis eruere intendimus. Verum maxime probabilem efficiunt hæc varia testimonia opinionem, in sæculis sequentibus expressam, Boetium virum christianum, ex professo philosophum, nobili morte insignitum, pro suo in relligionem christianam studio, opuscula quædam theologica exaravisse.

Contra Boetium theologum arguunt critici quidam, Obbarius scilicet, C. Jourdain ac Nitzschius de silentio Isidori Hispalensis (570-636) circa hæc opuscula. Probe tamen norunt omnes *Catalogum scriptorum ecclesiasticorum* S. Isidori imperfectum remansisse. Ejus autem silentium variis ex causis explicatur, ut infra dicemus, et ex parte abrumpitur præclara notitia quam tradit de Boetio Honorius Augustodunensis episcopus (anno 1100), qui in lib. III *de Scriptoribus ecclesiasticis* « ex Isidoro sublectus » hæc habet[1] : « Boetius, patricius et consul, scripsit Librum *de sancta Trinitate*, et alium *de Consolatione*; et quadrivium de græco transtulit... »

Hodierni critici abjudicant Bedæ commentarium in Librum Boetii *de Trinitate*, fatentur autem Bedam Boetii nomen in suo Martyrologio[2] inscripsisse; quod si martyr Boetius, potuit esse etiam theologus. Commentator ignotus Libri *de Trinitate* apud Bedam ita loquitur de Boetio : « Multos etiam hæsitantes in fide adjuvit, et confirmavit, ut *in Libro contra Eutychen et Nestorium* et in hoc opere

---

[1] Migne, tom. CLXII, col. 224.

[2] Ven., Bædæ, *Opera omnia*, tom. III, col. 309. Edit. Colon. Agrip., an. 1612. « V° calend. Junii. Natale S. Joannis papæ, quo tempore Theodoricus rex duos senatores præclaros et consules, Symmachum et Boetium occidit. »

(scil. *de Trinitate*). » Tum priora recolligens ait : « Liber iste est auctoris quem insuperabilis animi constantia, majorum nobilitas, et probitas exornat, verborum et morum severitas, miserorum protectio, sapientiæ plenitudo, virtutum illuminatio clarificat, proximorum pia cura et paterna dilectio commendat[1]. »

E sæculo VIII colligimus testimonia Alcuini (725-804), Rhabani Mauri (776-856), ac Pauli Diaconi (740-801). Boetium sequitur Alcuinus non solum in philosophia tractanda, verum etiam in exponendo sanctissimæ Trinitatis mysterio, haud semel ad Boetii theologiam alludit. Demum disertis verbis Boetium theologum laudat : « Boetius quoque vir in divinis, nec non et in philosophicis voluminibus eruditus, in Libro quem de Unitate substantiæ Patris, Filii, Spiritus sancti (de Trinitate) conscripsit, præfatos in catholicæ fidei regula imitando viros, testatur...[2] »

Elogium Boetii ex codice Barthi, auctore Rhabano, refert Peiper[3], quod quidem ita sonat :

Crux Christi sequitur de summo stemmate natum :
  Exsilium meruit, dum tibi, Gothe, placet.
At Christo placuit, cum non tibi, Gothe, placeret,
  Et meruit vitam perpetuamque sophus...

Pro fide christiana Boetii valet Pauli Diaconi testimonium : « Theodoricus rex, rabie stimulatus, Symmachum

[1] *Scholia in Lib. Boetii de Trinit.*, apud Bedam, Edit. Colon., 1612, tom. VIII, col. 926.
[2] Migne, tom. CI, col. 76.
[3] *Introd.*, p. XXXIX.

exconsulem ac patricium et Boetium seniorem et exconsulem, catholicos vivos, gladio trucidavit[1]. »

Sæculo IX obvius occurrit Hincmarus (806-882), illustris ille remensis ecclesiæ episcopus. Hic fere totum Boetii librum de *Trinitate* in suo opere exscripsit, necnon Librum ad Joannem Diaconum, et librum contra Eutychen et Nestorium. Singula loca notavit Peiper[2]. Hos autem libros expressis verbis Boetio adscribit, quem appellat « catholicum et sapientiæ ac scientiæ multæ philosophum[3]. »

Quidam monachus sangallensis (S. Gall), circa annum 793, in libro quem de varia monasterii sangallensis fortuna scripsit, inter libros ab Hartmutho abbate, ann. 772, in communem usum monachorum in bibliotheca collocatos, etiam duos codices enumerat, alterum Boetii Consolationem philosophiæ, alterum « alios quinque » ejusdem scriptoris libellos continentem; qui quinque libri sat verisimiliter pro opusculis theologicis habentur[4].

Fridegisius, Alcuini æqualis, circa annum 800, in Libro quem scripsit *de Nihilo et tenebris*, opusculum Boetii *de persona et duabus naturis*, pro certo ante oculos habuit. Ita conjiciunt Suttner[5] et Peiper[6].

Perspicua est juxta Suttnerum Boetium inter et Pas-

---

[1] Migne, tom. XCV, col. 978.
[2] *Introd.*, p. XIX et XX.
[3] *Hincmari Op.*, tom. II, p. 61. Edit. Paris, 1645.
[4] Ita opinatur G. Baur, de Boetio christianæ doctrinæ assertore, p. 57.
[5] *Boethius, der letzte Rœmer*, p. 29, not. 12. Hæc leguntur apud Boetium *de person. et nat.*, c. I. : Quoniam etiam nihil significat aliquid, sed non naturam; neque enim quod sit aliquid, sed potius non esse significat. — Apud Fridegis., juxta Ritter, tom. VII, p. 180 : Omnis significatio est quod est; nihil autem aliquid significat; igitur nihil ejus significatio est quod est, id est rei existentis.
[6] *Introduct.*, XLVI.

chasium Ratbertum in doctrina christiana exponenda connexio. Non solum cum Anicio nostro concordat in philosophia Ratbertus, verum in toto tractatu *de corpore et sanguine Domini* utitur in argumentando principiis ex Boetio descriptis. In tractatu *de Fide* totam de humana cognitione theoriam quasi de verbo ad verbum[1] a Boetio mutuatur. Ad opuscula theologica Boetii respicit chronicorum scriptor Aimonius[2]. Notkerus etiam abbas sangallensis (S. Gall), in epistola directa ad Hugonem, episcopum seddunensem (Sion), partem Libri ejusdem Boetii *de S. Trinitate* a se (in linguam theotiscam) versam dicit[3].

Sæculo X, anno 996, quatuor post cruentam Boetii mortem sæculis elapsis, descendit in Italiam imperator Otto III, ac festa paschalia in Papiensi civitate transegit. Ibi Boetii sepulchrum veneratus, ac tanti viri fama laudeque vehementer commotus, jussit Boetii elogium a Gerberto, Ravennensi archiepiscopo, posteaque romano Pontifice, versibus componi et infra Boetii effigiem in suo palatio describi[4].

---

[1] Hæc refert Suttner, *loc. cit.*, not. 15. Apud Ritter, tom. VII, p. 200, ex Paschasio : « Liquet omne quod scitur non ex sua, sed ex comprehendentium natura comprehendi. » Hoc secundum ex *Consol.*, V, pr. 3. « Omne enim quod cognoscitur non secundum sui vim, sed secundum cognoscentium potius comprehenditur facultatem. »

[2] Aimon, de gestis Francorum, lib. II, 1.

[3] Peiper, *Introd.*, XLVI.

[4] Hi sunt Gerberti versus, apud Peiper, p. 40.

Roma potens, dum jura suo declarat in orbe,
Tu Pater et patriæ lumen, Severine Boeti,
Consulis officio, rerum disponis habenas ;
Infundis lumen studiis, et cedere nescis
Græcorum ingeniis, sed mens divina coercet
Imperium mundi. Gladio bacchante Gothorum
Libertas romana perit. Tu consul et exsul,
Insignes titulos præclara morte relinquis.

Ad sæculum XI pertinent Abælardus ac S. Bernardus. Quorum prior (1079-1142) plusquam 30 loca e Boetii operibus, tam philosophicis quam theologicis excerpsit, tum præclarissimum illud Boetii elogium ex integro hic describendum reliquit [1].

« Restat denique ad maximum illum latinorum philoso-
» phorum Boetium scilicet, descendere : qui omnes fere
» liberalium artium disciplinas, scribendo vel transferendo
» seu etiam exponendo latine tradidit, ac diligenter sanctæ
» Trinitatis fidem Symmacho socero ac patricio scribendo
» edisserens, de unitate quoque personæ Christi ac diversi-
» tate naturarum quæ in Christo sunt, divinæ scilicet et
» humanæ, ad Joannem Diaconum, qui postea Papa effectus
» est, scribendo contra Eutychen et Nestorium, optime
» disputavit, fidemque nostram et suam ne in aliquo vacil-
» laret, tam de divinitate quam de divinitatis incarnatione
» tractando inexpugnabiliter adstruxit. Constat hunc egre-
» gium senatorem romanum quoque et consulem atquc
» patricium tempore prædicti Joannis papæ floruisse, a

Nunc decus imperii, summas qui prægravat artes,
Tertius Otto, sua dignum te judicat aula,
Æternumque tui statuit monumenta laboris,
Et bene promeritum meritis exornat honestis.

Monet Judicis de Mirandol (*Introd.*, p. XXV), nullam in his versibus de Boetii christiana professione mentionem fieri. « Cette réticence calculée évidemment, fait bien voir que le savant Gerbert n'était rien moins qu'édifié sur la sainteté du philosophe. Le croyait-il païen ? Nous ne savons, mais pour nous, le paganisme de Boèce n'est pas douteux. » Quam hæc leviter dicta et gratis asserta ! Enodet potius D. Judicis agendi rationem christiani imperatoris qui Boetium Papiæ religioso cultu decoratum in suo palatio vult etiam honorari, qui jubet eum Gerberti, archiepiscopi versibus laudari ; enodet etiam hos versus quibus extollitur « Pater et Patriæ lumen » et « mens divina » ejus, et vir qui « Gladio bacchante Gothorum, » cum Symmacho socero et S. Joanne, martyre, « insignes tulos præclara morte relinquit. »

[1] *Introd., ad Theolog.*, lib. I, c. XXV, p. 1039. Edit. Par., 1616.

» Silvestro papa vicesimi, et eum in illa persecutione chris-
» tianorum qua in Joannem papam cæterosque christianos
» Theodoricus sæviit, una cum prædicto Symmacho occu-
» buisse. De quo in gestis Pontificum, necnon et in libro
» miraculorum B. Benedicti scriptum est qualiter videlicet
» ambos Theodoricus rex Gothorum interfecerit. »

Huic tempori referendus est Gislebertus Porretanus (+ 1159), Pictaviensium Episcopus, qui commentaria scripsit in libros Boetii de Trinitate, de trium personarum prædicatione, de bono substantiarum, de persona et natura, in quibus erravit quidem, et in concilio remensi, anno 1148, damnatus est. Ipse autem laudabiliter se subjecit. Hujus errorem sic recenset Divus Bernardus, *Sermone* 80, *super Cantica* : « Si quid itaque de Deo proprie dici possit, rectius congruentiusque dicetur : Deus est magnitudo, bonitas, justitia, sapientia, quam : Deus est magnus, bonus, justus, aut sapiens... perversa visa est et omnino suspecta expositio illa in libro Gilberti episcopi pictaviensis, quo super verba Boetii *de Trinitate*, sanissima quidem atque catholica commentabatur...[1] »

Decretum Gratiani, circa 1141 exaratum, continet (1a P. *Dist.* XI) Canonem quemdam *de fide christiana,* qui S. Augustino attribuitur, « licet, ut ait Glossa, hodie inter opera B. Augustini nullum exstat hoc titulo. » Hic autem canon ad verbum exscribitur ex opusculo Boetii *de fide catholica,* et ita sonat : « Catholica Ecclesia per orbem diffusa tribus modis probatur existere... etc. » Inde sequitur canonem istum, Gratiano judice, ad tempora S. Augustini referen-

---

[1] Cf. Bernard, *de Consid.*, lib. V, c. VII.

dum, et consequenter opus Boetii quod illud continet non esse in ætate longe posteriori exaratum.

Vincentius Bellovacensis (+ 1264) expressis verbis Boetium auctorem Libri de sancta Trinitate asserit[1]. Angelus autem Scholæ Divus Thomas qui ad summum gloriæ fastigium Boetii doctrinam adduxit, ad concordiam scilicet fidei cum ratione, non solum Boetium habet ut philosophum et etiam ut theologum, verum systema quoddam ex superstitibus theologicis Boetii operibus conficit, quod ita partitur[2] : « Hunc ergo ordinem secutus Boetius, ea quæ sunt fidei tractare intendens, in ipsa summa rerum origine, principium suæ considerationis instituit, scilicet *de Trinitate* unius simplicis Dei... circa præsens opusculum quod ad Symmachum, patritium Urbis, composuit, tria possunt notari, scilicet materia, modus, finis. » « In alio vero Libro quem ad Joannem diaconum Ecclesiæ romanæ scribit, agit *de modo prædicandi* quo utimur in personarum distinctione et essentiæ unitate, qui sic incipit : *Utrum Pater,...* etc. » « In libro de *Hebdomadibus* qui sic incipit : *Postulas a me...* agitur de processione bonarum creaturarum a bono Deo. » « Tertia vero (pars) est de reparatione creaturarum per Christum : quæ quidem in duo dividitur. Primo namque proponitur fides quam docuit Christus, qua justificamur, in libro qui intitulatur *de fide christiana ;* secundo explanatur quid de Christo sentiendum sit... et hoc in libro *de duabus naturis et una persona* Christi, ad eumdem Joannem scripto, qui sic incipit : Anxie te quidem...

[1] *Specul., hist.*, XXI.

[2] *Opuscul.*, LXIII, tom. XXVIII, *Edit. Vivès*, Paris, 1875, p. 482.

Hæc de materia. Modus tractandi Boetii est « inquisitio rationis. » Finis vero hujus operis est « ut occulta manifestentur, quantum in via possibile est. »

Firmissimo igitur et quasi necessario vinculo inter se connexa esse Boetii opuscula quinque ostendit Thomas; ac ne levissimum quidem dubium movet circa eorum genuinam originem.

Huic nobilissimæ tantorum testium coronæ liceat unam adhuc inserere margaritam, versus scilicet quos Anicio nostro dedicat christianus vates Dante in sua *Divina Commedia*. Philosophum nempe ac theologum extollit, dum animam Boetii « octavam lucem » summo bono fruentem describit, ac mundi contemptum suggerentem cuicumque ad ipsam proprius accedit. Asserit etiam corpus exsulis ac martyris e quo depulsa est hæc anima, Papiæ, in ecclesia S. Petri *in cœlo aureo* honorifice recondi[1].

Medio ævo exeunte, Laurentius Valla (1415-1465), licet acriter invehatur in Boetium[2] propter sic dictam « barbaricam latinitatem » quam juxta ipsum intulit Boetius, ne cogitat quidem de abjudicandis Boetio theologicis opusculis, nam exempla « barbarici sermonis » ex opusculo *de*

---

[1] *Parad.*, cant. x, v. 123.

Per veder ogni Ben dentro vi gode
L'Anima santa, che l mondo fallace
Fa manifesto a chi di lei ben ode;
Lo corpo ond'ella fu cacciata, giace
Giuso in Cieldauro, ed essa da martiro,
E da esiglio, venne a questa pace.

« Elle jouit par la vue du souverain Bien d'une intime béatitude, cette âme » qui montre la fausseté des biens du monde à quiconque aime à s'approcher » d'elle. Le corps d'où elle fut chassée repose à Cieldauro ; après le martyre et » l'exil elle est entrée dans cette paix. »

[2] *Elegantiæ lat. sermonis*, lib. VI. Edit. Basil., p. 536.

persona et duabus naturis desumit. Sæculo decimo sexto, auctores quidam e Protestantium partibus, ut Murmellius, Henricus Glareanus et alii dubium movent de genuina Boetii opusculorum origine, non quidem ex rationibus intrinsecis, sed ex affectata impossibilitate eumdem virum ea composuisse qui scripserit Librum *de Consolatione*. Hæc sunt Glareani verba[1] : « Si id opus *de duabus Christi servatoris nostri naturis*, ac idem *de sanctissima Trinitate* ejus sunt, ut titulus præfert, *nec stylus repugnat*, quî factum est, ut in illo opere *de Philosophiæ Consolatione*, quod ultimum ejus existimant, cum toties occasio esset, ne semel quidem Christi mentio fiat ?... » Quo non deducat istiusmodi argumentatio, nemo non videt ; sed firmissimis rationibus ac omnium ætatum contraria traditione prorsus eliditur. Centuriatores Magdeburgenses[2] veterum sententiæ adhærent, nec non et Grotius[3], licet Protestantes utrique. Auctores catholici Labbe[4], Fabricius[5], Cally[6], Dom Gervaise[7], Francheville[8], Dom Ceillier[9] nostras tenent partes. Idem dicendum de quibusdam Protestantibus auctoribus ut

---

[1] Edit. Basil., 1546, *in Profatione*. Hæc habet D. Ceillier (*Hist. gén. des aut. sac. et prof.*), tom. XV, p. 584. Edit. Paris, 1748. « Avant Henry Lorit (Laureanus sive Glareanus) connu sous le nom de Glareanus, on ne s'était point avisé de contester à Boèce les cinq livres de la consolation de la philosophie. Tout le monde les lui attribuait sans difficulté ; on y reconnaissait son style et son génie. Mais Glareanus comptant pour rien toutes ces raisons les a rejetées par cela seul qu'on ne lit pas une seule fois dans ces livres le nom de Jésus-Christ. »

[2] *Hist. eccles.*, Basil., 1559, part. VI.

[3] *Proleg. ad hist. Goth.*, Amstelod, 1655, p. 32.

[4] *De Script. eccles.*, Paris, 1660, p. 204.

[5] *Biblioth. latin.*, Hambourg, 1712, p. 641.

[6] *Edit. ad usum Delphin.*, Paris, 1680, et Migne, tom. LXIII, col. 557.

[7] *Histoire de Boèce*, Paris, 1715, et Migne, tom. LXIV, col. 1411.

[8] *La Consolation philos. de Boèce*, nouvelle traduction, à la Haye, 1744.

[9] *Hist. gén. des aut. sacrés et ecclés.*, tom. XV, Paris, 1748.

Richter [1], Schræck [2], Baur [3] et Peiper [4]. Boetium theologum vindicant ecclesticarum rerum scriptores bene multi ut Rohrbacher [5] et recentissimus E. Darras [6], etiam F. Gfrœrer [7]; nec non et eruditi viri perplurimi inter quos præcipue Bosizio [8] in Italia, Suttner [9] et Schundelen [10] in Germania nominandi.

CAPUT TERTIUM.

DE RATIONIBUS QUÆ CONTRA BOETIUM THEOLOGUM AFFERUNTUR.

Qui nobilissimam hanc omnium sæculorum coronam testium parvipendunt et Boetium negant auctorem esse genuinum theologicorum quæ notavimus opusculorum ad varias confugiunt rationes quæ nunc diligenter examinandæ veniunt. Arguunt scilicet : 1° ex silentio quorumdam coœtaneorum ; 2° ex iis quæ dixerit Boetius contra fidem christianam ; 3° ex prætermissione nominis Christi ac locorum

---

1 *Trost der Philosophie*, Leipzig, 1753.

2 *Kirchengeschichte*, tom. XVI, p. 99 et seq. : « Es ist sonderbar zufordern, dass in einem solchen (philosophischen Werke) das Eigenthümliche des Christenthums hervorschimmern soll... (p. 118). »

3 *De Boethio christianæ doctrinæ assertore*, Darmstadt, 1841.

4 *A. M. S. Boetii Philosophiæ Consolationis*, libri V, accedunt ejusdem atque incertorum *Opuscula sacra*, Lipsiæ, 1874.

5 *Hist. univ. de l'Eglise cath.*, tom. IV. Liv. XLIII.

6 *Hist. gén. de l'Eglise*, tom. XIV, ch. IV, § 4, Paris, Vivès, 1870.

7 *Allgem. Kirchengeschichte*, Stuttgart, 2e vol., 2e partie.

8 *Sull'autenticita delle opere teologiche di Anicio M. Torquato Sev. Boezio*, Pavia, 1869.

9 *Boethius, der Letzte Rœmer*, Eichstaett, 1852.

10 *Theologisches Literaturblatt*, Bonn., Jahrgang, 1868, 1870, 1871.

scripturæ sacræ in libro Consolationis ; 4° demum ex diversa scribendi ratione quæ in theologicis scriptis ab ea quæ in philosophicis libris apparet. Hæ sunt præcipuæ adversariorum rationes.

I. — Mirantur nullam de his theologicis scriptis mentionem fieri apud Cassiodorum, apud Isidorum hispalensem, apud Gregorium magnum. Huic autem difficultati facile occurritur ; si attendatur Cassiodorum, Boetii coœtaneum, perfacile hæc opuscula ignorare potuisse, utpote privatas epistolas, nondum ad omnes divulgatas. Forsan etiam non statim ab initio, in aliquo pretio hi libri habiti sunt, quia a laico viro conscripti, non via auctoritatis sed sola rationis ope de theologiæ quæstionibus tractabant. De silentio Cassiodori valet etiam hæc ratio Bauri[1] : Cassiodoro, cui præcipue in animo erat ad monachorum vivariensium scholarem disciplinam aptiora scripta enumerare, Boetii opuscula, utpote obscuriora atque difficiliora, prætermittenda fuerunt. De Isidoro hispalensi valent quæ supra diximus, nempe imperfectum remansisse ejus catalogum *de scriptoribus ecclesiasticis;* addendum varias circa scriptores italicos notitias a Cassiodoro Isidorum simpliciter descripsisse. De silentio S. Gregorii Magni idem dicendum ac de silentio Cassiodori. Toto primo sæculo post suam mortem habitus est Boetius ut vir doctissimus, ut dialecticus, ut mathematicus, non quidem ut theologus. Insequenti autem ætate, cum iterum florerent litterarum studia, nomen Boetii paulisper obscuratum, celebratum fuit, et ejus theologicorum operum incorrupta integritas servata est.

---

[1] *De Boet. Christ. asser.*, p. 56, not. 93.

II. — Primus qui detexisse videtur discrepantiam inter fidem christianam ac philosophicam Boetii doctrinam quæ in *Consolatione philosophiæ* continetur, est monachus quidam Corbeiensis, e sæculo X°, Bruno nomine. Commentarium Metri noni scripsit iste Bruno, libri tertii *Consolationis*, ad monasterii abbatem dedicatum, in quo ita suam aperit sententiam : « Quisquis illorum versuum intelligentiam inda-
» gare cupit, quorum mihi expositionem tua sanctitas,
» venerande Præsul, injunxit, imprimis admonendus est
» non solum in his versibus, sed et in multis locis ejusdem
» operis, quod Consolationis philosophiæ titulo præno-
» tatur, quædam catholicæ fidei contraria reperiri; quod
» ideo mirum est, quia libellum quemdam ejusdem auctoris
» *de sancta Trinitate* valde præclarum legi, et alium *contra*
» *Eutychen et Nestorium* hæreticos, quos ab eodem esse
» scriptos quisquis aliis ejus libris legendis operam im-
» pendit, ut ego ab adolescentia feci, ex ipso elegantis styli
» quodam proprio nitore indubitanter agnoscit. Quod
» tamen utcumque se habet, certum est eum in his libris
» (scilicet de Consolatione), nihil de doctrina ecclesiastica
» disputasse, sed tantum philosophorum et maxime plato-
» nicorum dogmata legentibus aperire voluisse [1]. »

Ex his Brunonis verbis firmissimum pro theologicorum Boetii opusculorum authentia conficitur argumentum. Fatetur enim Bruno ad eumdem auctorem, Boetium nempe, pertinere librum *Consolationis* et duo opuscula *de sancta Trinitate* et *contra Eutychen et Nestorium*; 2° genuinam supradictorum opusculorum originem « ex ipso elegantis

---

[1] Apud Migne, tom. LXIV, col. 1239.

styli quodam proprio nitore indubitanter agnosci ; » 3° licet quædam christianæ fidei contraria in *Consolatione* reperiantur (quod non tantum asserere sed probare debuisset Bruno), certum esse Boetium in his libris nihil de doctrina ecclesiastica disputasse, sed philosophorum opiniones, maxime Platonicorum, legentibus aperire voluisse. Ergo intacta remanet Boetii orthodoxa integritas.

Si ulterius quæramus quænam præcipue in animo Corbeiensis monachi scrupulos moverint, animarum præexistentiam tantum invenimus, de qua ipse ait : « Hoc de ipsis » intelligi vult (Boetius), quod minime recipit fides christiana, eas videlicet a prima sui conditione, in cœlo positas ex contemplatione mentis divinæ beate vixisse ; » deinde quasdam ex his in corpora humana delapsas, » iterum post resolutionem corporum terrenis purgata » vitiis originem suam repetere et in cœlum redire [1]. » Ex quibus verbis perspicuum est Brunonem alludere ad locum quem supra exposuimus de variis in anima humana libertatis gradibus [2], qui locus obscurior est quam ut certa inde eruatur accusatio contra fidem auctoris. De cætero monet ipse Bruno Boetium opinionem philosophicam, inter catholicos plane liberam aperuisse, impugnatam quidem a S. Augustino, sed antea ab Origene traditam, et nondum ab Ecclesia damnatam. Contradicimus ergo auctori cujusdam de Boetio opusculi, asserenti « longe ante Boetium, quo tempore S. Augustinus florebat, jam Ecclesiæ de ea quæstione doctrinam perspicuam atque apertam fuisse [3], et

---

[1] Apud Migne, tom. LXIV, col. 1245.
[2] *Consol.*, V, pr. 2. Peiper, p. 124.
[3] *Quæ de Providentia Boetius in Cons. phil. scripserit.* Nannet., 1865, p. 107.

ideo « a catholicis disciplinis multum aberrare (Boetium). » Nam 1° ex optimis rationibus controvertitur interpretatio quam refert auctor duorum locorum Boetii [1]. In quorum priore discrimen ostenditur inter eam rerum notitiam quæ a sensibus originem habet et eam quæ ab intellectu procedit, atque in primorum principiorum fecunda comprehensione singulorum notitiam continet. In posteriore autem alluditur forsan, ut vult Callyus [2], ad statum primi hominis ante peccatum. Vult autem laudatus auctor hæc duo loca doctrinam de præexistentia animarum continere. 2° Quidquid de his locis decernatur, certum est hanc doctrinam ab Ecclesia, circa triginta annos post Boetii mortem, damnatam esse [3], in concilio Constantinopolitano II°, œcumenico V°, anno 553, et inde nihil contra Boetii orthodoxam fidem erui posse.

III. — Afferuntur etiam a D. C. Jourdain [4] et a Nitzschio [5] verba Joannis Sarisberiensis (de Salisbury) dolentis librum de Consolatione « non exprimere Verbum incarnatum. » Si autem Boetium vulnerant verba doctoris et episcopi Joannis, fatendum est ea ipsa optissimum remedium adponere. Hæc sunt verba Joannis Sarisberiensis : « Licet ille liber Verbum non exprimat incarnatum, tamen apud eos qui ratione nituntur non mediocris auctoritatis est, cum ad reprimendum quemlibet exulceratæ mentis dolorem congrua cuique medicamenta conficiat. Nec judæus quidem, nec græcus sub prætextu religionis medicinæ declinet

---

[1] *Consol.*, lib. III, met. 11, et lib. V, met. 3.

[2] Apud Migne, tom. LXIII, col. 777.

[3] Concil. gen. Pauli V auct. edita, Romæ, 1609, tom. II, p. 657 : « Si quis dicit aut sentit præexistere hominum animas... etc. »

[4] *Loc. citat.*, p. 334.

[5] *Loc. cit.*, p. 29.

usum, cum sapientibus in fide et in perfidia desipientibus, sic vividæ rationis confectio proficiat artificiosa, ut nulla religio quod miscet abominari audeat, nisi qui rationis expers est[1]. » Inde intelligitur Boetium consulto omisisse christianorum dogmatum expositionem, ut nimirum facilius Judæos et Græcos ad Christi sapientiam adduceret. Quid vero contra Boetium ex hac nominis Christi omissione concludendum? Scripsit D. Augustinus post suam conversionem librum *de quantitate animæ,* in quo non quidem nominatur Christus, sed semel tantum « Dei filius. » Apprime notat D. Remi Ceillier in toto de S. Trinitate Boetii libro nullibi Christi nomen occurrere; ac de libro *Consolationis* ita opinatur : si Christi nomen abest, optimi christiani sensus declarantur[2].

Hanc tamen Glareani contra Boetium conflatam accusationem amplectuntur ac tuentur quotquot e castris sic dictæ *Reformationis* post Glareanum scripserunt, Bertius[3], Arnoldus[4], Schleiermacher, Hand, Obbarius, Schlosser, Gieseler[5], Nitzschius[6] et alii.

---

[1] *Polycrat,* lib. VII, c. xv, Migne, tom. CXCIX, col. 672.

[2] *Hist. gén. des aut. ecclés.*, tom. XV, p. 584 : « Il est à remarquer qu'on n'y remarque (dans le Traité de la Trinité) pas une seule fois le nom Jésus-Christ. Ainsi l'argument de Glareanus tombe de lui-même. Aussi a-t-on continué depuis à regarder les livres de la Consolation comme étant indubitablement de Boèce. Si l'on n'y lit pas le nom de Jésus-Christ, on y trouve le sentiment d'un parfait chrétien. »

[3] *Consol. philos.* Edit londin., p. 30 : « Nam primum non est verisimile.... eum qui de *S. Trinitate* in carcere scripsit, consolationem in adversis non petiisse ex disciplina Christi... »

[4] *Unparteiische Kirchen und Ketzer-Historie.* Edit. Schaffhausen, 1840, p. 260. Seine Bücher vom Troste der philosophia zeigen nichts weniger als einen Christen an, indem Keine Periodus darin aus christlichen principiis fleusst, sondern lauter heidnische Trostgründe werden angeführt. » Ex his sequitur christiano viro non licere de veritatibus mere philosophicis tractare quin paganitatis notam incurrat.

[5] Apud Baur, p. 18.

[6] *Das System der Boethius*, pages 88, 121, 126, 158 et 159.

Quis non miretur viros e castris sic dictis *Rationalistarum* tanta in Christum cruci affixum pietate subito correptos, ac Boetium ex eo inculpantes quod in opere mere philosophico neque Christum nominaverit, neque de peccato originali aut de corporum futura resurrectione verbum ullum protulerit. Annon ex opposito sese elidunt istæ in Boetium animadversiones? Ex una parte asserit Nitzschius « Boetium vim ac potentiam mali consulto diminuere, ut redemptionis per Christum necessitatem deprimat[1], » ex altera parte « Boetium in Trinitate tractanda D. Augustini vestigiis plus æquo inhærere, et Ecclesiæ credendi regulæ serviliter nimium et plus quam sacris scripturis ac Patribus obsecutum[2]. » Ergo ex una parte Pelagium sapit Boetius et Christi gratiam deprimit et evacuat; ex altera serviliter nimium Christi Ecclesiæ obsequitur. Ad ultimum illud perspicuum remanet Boetium sic in contrarias partes distractum minime ad sic dictæ Reformationis partes adduci posse et ita in nullo pretio esse habendum.

IV. — Opponunt etiam contra Boetium theologum styli discrepantiam inter philosophica ac theologica ejus opuscula. Si autem hæc difficultas attentius consideratur evanescit omnino. Ennodius, uti vidimus supra, Boetium celebrat optimum dicendi ac scribendi magistrum, « quem » in annis puerilibus... industria fecit antiquum, qui per

---

[1] *Ibid*, p. 72. « Hiermit... aber schon die Unterschaetzung der Macht des Boesen, welche scheidet den Boethius von der christlichen Lehre von Sünde und Erlœsung. »

[2] *Ibid.*, p. 120 et 121. « So finden wir eine grosse Abhaengigkeit von Augustin... muss freilich jenes rein formalistische Verfahren in der Beweisführung auffallen, wobei zwar auf die fertige Kirchenlehre, aber nicht auf die H. Schrift und die Vaeter hingewiesen wird. »

» diligentiam implet omne quod cogitur, cui inter vitæ » exordia ludus est lectionis assiduitas... in cujus manibus » duplicato igne rutilat qua veteres face fulserunt[1]. » Nova quædam his laudibus addit Cassiodorus, dum ad Boetium scribit : « Quascumque disciplinas vel artes fecunda » Græcia per singulos viros edidit te uno auctore patrio » sermone Roma suscepit ; quos tanta verborum luculentia » reddidisti claros, tanta linguæ proprietate conspicuos, » ut...[2] » Ad ornatum dicendi genus non videtur Boetius magnam curam attulisse, sed ad veritatem diligenter exprimendam, ut ipse testatur de suis translationibus : « In his » scriptis, in quibus rerum cognitio quæritur, non lucu- » lentæ orationis lepos, sed incorrupta veritas exprimenda » est[3]. » Sæculo xv° autem a Laurentio Valla, anti-scolastico quodam philologo, impugnatus est Boetius quasi « barbaras voces introduxisset ac « barbare loqui docuisset[4]. » Mirum est exempla desumere Vallam e libro *de persona et natura,* qui ad opuscula theologica pertinet et inter cætera ornato dicendi genere pollet. Stylum ipsum qui magis theologicis quæstionibus convenire videtur ita describit Boetius : « Idcirco stilum brevitate contraho et ex intimis » sumpta philosophiæ disciplinis *novorum* verborum signi- » ficationibus velo, ut hæc mihi tantum vobisque (Sym- » macho socero), si quando ad ea convertitis oculos conlo- » quantur[5]. » « Prohinc (ad Joannem diaconum verba

---

[1] Ep., VII, 13.
[2] *Var.*, ep. I, 45.
[3] *In Porphyr. a se.*, Edit. Basil., p. 46.
[4] *Disput. dialect.*, Præf., p. 642. Cf. *Elegant. lat. serm.*, lib. VII, Edit. Basil, 1571, p. 536.
[5] *De Trinitat.*, Procemium.

facit), tu ne sis obscuritatibus brevitatis adversus, quæ cum sint arcani fida custodia, tum id habent commodi, quod cum his solis qui digni sunt conloquuntur[1]. » Permulta enim sunt in opusculis theologicis *nova,* ut ita dicam verba quæ neque ex aristotelico neque ex platonico thesauro depromuntur, ut « rationabiliter[2], » « disciplinaliter[3], » « intellectualiter[4], » « singulariter[5], » « naturaliter[6], » « artificialiter[7], » quæ specifice ad Scholasticam medii ævi linguam pertinent, quæ tamen a laico viro, qui suis « inventis[8] » gaudet, magis in dialectica ac philosophicis rebus versato quam in sacrarum scripturarum lectione et sanctorum Patrum studio. Hæc quidem verba non ad sic dictam *classicam* latinitatem pertinent, sed ad usum traditæ disciplinæ conformata sunt, ut ipse fatetur Nitzschius[9]. Ideo scholasticæ docendi methodi ut genuinus pater ac auctor habetur a Dupino[10] et Tiraboschio[11]. Nova ergo methodus

---

1 *Quomodo substantiæ*, sub init.
2 Peiper, p. 152.
3 *Ibid.*
4 *Ibid.*
5 *Ibid.*, p. 153.
6 *Ibid.*, p. 190.
7 *Ibid.*
8 *De Trinitate*, Procem.; Cf. Procem., in Top. Cic., lib. IV, præf., ad eumdem Symmachum socerum : « Communis negotii studiosus. »
9 Der stil unseres Verfassers ist vielmehr der Scholastische, der sich durch Nüchternheit, schwerfaellige Akribie und Vermeidung jeglichen Ausdrucks individueller Lebendigkeit auszeichnet (p. 117).
10 *Biblioth. des aut. ecclés.*, tom. IV, p. 91, Paris, 1690. « Boèce semble être le premier qui ait expliqué nos mystères par la philosophie d'Aristote, et qui se soit servi de la méthode que les scholastiques ont embrassée avec tant d'ardeur. »
11 *Stor. della litt. ital.*, tom. III, p. 46 et seq. « Ed egli fu il primo a render latina per cosi dire, la scolastica Filosophia : almeno non abbiamo autor latino piu antico che scrivesse di questo argomento. Anzi egli ancora prima d'ogni altro introdusse la Filosofia scolastica ancor nella Teologia, come si vede in alcuni Opuscoli teologici da lui composti, ed in quello singolarmente contro Nestorio ed Eutyche. »

docendi theologiam ac philosophiam nova verba et novum dicendi genus inducere debuit. Inde discrepantiæ quædam in dicendi genere inter Consolationis et theologiæ opusculorum stilum. De cætero confitentem adversarium Nitzschium habemus, circa differentias coloris ac stili. Diligenti examine peracto, ita concludit : « Asserere debemus Pseudo-» Boethium (fingit enim quemdam Pseudo-Boethium) theo-» logum in scribendi genere Boetio philosopho propius » accedere... Usus est Boetii exemplaribus ad hoc scribendi » genus imitandum, nam dixit Laurentius Valla : Boethius » nos docuit barbare loqui. » « Adhibet, ut Boetius, auctor » ille ignotus idem ambitiosum ac fucatum dicendi genus ; » permultæ ejusdem periodi, fatemur, Boetium in memo-» riam reducunt. » « Auctor libri *de Trinitate* non poste-» rius octavo sæculo vixit... » « Inter Boetii coætaneos » nullus alius occurrit, sat in dialectica peritus, cui illud » opus adscribi possit...[1] » « Consequenter (!!) impossi-» bile est Boetium esse auctorem genuinum hujus libri, » nam tota *Consolationis* philosophiæ doctrina longe a fide » christiana vagatur et errat[2]. » Plane autem consequentiam rejicit Peiper et asserit « illum non esse a vero » alienum qui librum *de Trinitate* Boetio adolescentulo » adscribit[3]. » Cui sententiæ, ut par est, libenter assentimur.

Nunc ad singula pergamus quæ sive a Th. Obbario, sive a C. Jourdain, sive demum a Fr. Nitzschio, recentioribus hisce temporibus, contra Boetium theologum excogitata sunt systemata.

---

[1] *Das System der Boethius*, pages 116, 117, 119, 121.
[2] Hic totius Nitzschii systematis cardo, pages 126, 155, 169 et passim.
[3] *Introduct.*, p. XXIII.

CAPUT QUARTUM.

REFELLUNTUR TH. OBBARII, C. JOURDAIN ET FR. NITZSCHII CONTRA BOETIUM THEOLOGUM SYSTEMATA.

Jam in Germania, anno 1843, edidit Th. Obbarius Librum Boetii *de Consolatione*, cum Prolegomenis, quibus id maxime probandum suscepit nec Boetium christianum fuisse, nec ipsum esse genuinum auctorem opusculorum theologicorum quæ ipsi adscribuntur. Obbarii systema præcipue in eo vertitur ut e philosophicis et theologicis sententiarum discrepantiis hæc eruatur conclusio : Boetium philosophum alium esse ac operum theologicorum auctorem. Doctrinam Prolegomenorum Obbarii circa Boetium obsecuti sunt apud nos V. Le Clerc, C. Jourdain, Judicis de Mirandol, Langsdorff et alii in Germania bene multi, inter quos Nitzschius et vir in historia rei litterariæ peritissimus Teuffel.

I. Infinita propemodum instituenda esset disquisitio si ad examen revocanda essent singula quæ in Obbarii *Prolegomenis* leguntur circa philosophicam et theologicam Boetii doctrinam. Quæ ut promptius expediamus, referendæ sunt duorum e Germania doctorum virorum sententiæ, Peiper et Schundelen, de scientifica Obbarii auctoritate. Si priorem audias, edidit Obbarius codicem Gothanum (de Gotha), qui defectibus innumeris laborat et sæculo XII° tantum exaratus est. Obbarii recensio revera continet quinque opuscula

Boetii circa theologiam, verum graviter peccavit, juxta Peiperum, qui hujus recensionis auctor est. « Nam non » solum quæ priores librarii erraverant iste correxit sed » etiam quæ Boetio propria sunt, mutandi studio abreptus » tam frequenter inflexit, ut pene novus sermo Boetianus » appareat, et in *Consolatione* et in sacris scriptis [1]. »

Si autem Schundelen audias, auctorem in re bibliographica versatissimum, ita monebit : « Cuilibet *Prolegomena* legenti perspicuum est Obbarium, licet « in philologia » peritum, turpissima in philosophicis et theologicis rebus » ignorantia laborare; in 2° capite hujus operis, circa Boetii » religionem et philosophiam, tot edere errores quot » verba [2]. » Quæ de Boetii paganitate scripsit Obbarius [3], in posterum defendi posse negat ipse Nitzschius, qui Anicium nostrum, licet professione christianum, circa religionem omnino indifferentem fuisse fingit [4].

Nunc perpauca recenseamus ab Obbario objecta, sive circa dialecticæ usum in rebus theologicis, sire circa quædam fidei christianæ dogmata.

« Scriptor (libri *de S. Trinitate*), ait Obbarius, Deum comparat cum prædicamentis et omnia quæ in eo corpore carente conjuncta insint, in cæteris corporeis esse disjuncta demonstrat, et in Deum quomodo in relatione apparent inquirit [5]. »

---

[1] Peiper, *Introd.*, p. XIII.

[2] *Theol. Literaturblatt*, Bonn., ann. 1870, col. 806.

[3] *Proleg.*, p. XXXIII.

[4] Das system der Boethius, p. 46. « Ich gebe gern zu dass Boethius... seinem aeusseren Bekenntniss nach sogar ein Christ war. Aber er dachte, wie ein aufgeklærter Heide.

[5] *Proleg.*, p. XXI.

His barbaris et indiscretis vocibus Boetium accusare nititur Obbarius, quasi divinæ essentiæ derogat, dum ad ejus simplicitatem demonstrandam, viam sic dictam *remotionis* seu *exclusionis* ingreditur, ac divinarum personarum relationes Categoriarum ope definit. Audiamus nunc Boetium, in hoc prorsus de *S. Trinitate* aureo capite IV°, mirabilem ac plane orthodoxam doctrinam de Deo, usque ad ultima sæcula proclamantem :

« Hæc igitur (decem prædicamenta) talia sunt qualia subjecta permiserint : nam pars eorum in reliquarum rerum prædicatione substantia est, pars in accidentium numero est. At hæc cum quis in divinam verterit prædicationem, cuncta mutantur quæ prædicari possunt. *Ad aliquid* vero omnino non potest prædicari ; nam substantia in illo non est vere substantia, sed ultra substantiam ; item qualitas et cætera quæ venire queunt. »

Præclare verba illa commentatus est S. Bernardus, cum dicit : « Non est formatus Deus : forma est. Non est affectus Deus, affectio est. Non est compositus Deus, merum simplex est. Et ut liquido noveris, quid simplex dicam : idem quod unum Tam simplex Deus quam unus est. Est autem unus et quomodo aliud nihil. Si dici possit *unissimus* est... Non ex tempore alterationem habet, non in substantia alteritatem. Hinc de eo Boetius : Hoc vero unum, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud præter id quod est [1]. » Hæc autem verba e libro de *S. Trinitate* exscribuntur.

De personis in Deo aliam fictitiam hæresim detegit Obba-

[1] *De Considerat.*, lib. V, c. VII.

rius in Boetii verbis latitantem; hac autem inventione omnium theologorum in se cachinnos tollit : « Pater, inquit, *creavit* quidem Filium, uterque Spiritum sanctum; sed incorporales sunt, quare locis non distant et hac differentia sublata « pluralitas » tollitur. »

Vel crassa doctrinæ christianæ ignorantia laborat Obbarius, vel inepte in Boetium cavillatur.

Audiamus autem Boetii solemnia verba : « Omnino enim magna regulæ est veritas : in rebus incorporalibus distantias effici differentiis non locis. Neque accessisse dici potest aliquid Deo ut Pater fieret; non enim cœpit esse unquam Pater, eo quod substantialis quidem ei est productio Filii, relativa vero prædicatio Patris, ac si meminerimus omnium in prioribus de Deo sententiarum, ita cogitemus processisse quidem ex Deo Patre Filium Deum, et ex utrisque Spiritum Sanctum. Hos quoniam incorporales sint, minime locis distare; quoniam vero Pater Deus, Filius Deus et Spiritus Sanctus Deus, Deus vero nullas habet differentias quibus differat ab Deo, a nullo eorum differt. Differentiæ vero ubi absunt, abest pluralitas; ubi abest pluralitas, adest unitas : nihil autem aliud gigni potuit ex Deo nisi Deus, et in rebus numerabilibus repetitio unitatum non facit modis omnibus pluralitatem. Trium igitur idonee constituta est unitas[2]. »

---

[1] *Proleg.*, p. XXII.

[2] *De Trinitat.*, cap. V. Liceat nobis hunc Boetii passum vernacula lingua explicare : En appliquant à l'exposition de la doctrine sur la sainte Trinité la catégorie de la relation, Boèce pose ce principe : « Une relation n'ajoute rien, » n'enlève rien, ne change rien à la chose de laquelle elle est affirmée ; car » elle consiste tout entière, non point dans l'essence de cette chose, mais dans » sa manière d'être, quand on la compare, soit à un autre terme, soit au même » terme. Supposez en effet que quelqu'un soit là debout ; si je viens me placer à

Hæc verba omnium ætatum theologi doctissimi mirati simul ac meditati sunt. Audiamus Doctorem Angelicum : « In divinis proprietates personales hoc solum habent, quod supposita divinæ naturæ ab invicem distinguuntur, non autem sunt principium subsistendi divinæ essentiæ ; ipsa enim divina essentia est secundum se subsistens ; sed e converso proprietates personales habent quod subsistant ab essentia... Ex hoc est etiam quod essentia divina non multiplicatur secundum numerum ex pluralitate suorum suppositorum, sicut accidit in istis inferioribus[1]. » Hæc ediscat ac meditetur Obbarius, ut qualicumque modo Boetium intelligat.

Ultimum tandem Obbarii in re theologica solertiæ specimen adducamus. De 2° Boetii opusculo : *Utrum Pater...* ita disserit : « Alterius disputationis hoc argumentum est : Deus est substantia ; Pater autem, Filius ac spiritus

---

» sa droite, il sera à gauche, par rapport à moi ; non point parce qu'il a pris la » gauche, mais parce que je me suis placé à sa droite.... C'est pourquoi si l'on » affirme une relation entre le Père et le Fils, et s'ils ne diffèrent en rien » d'autre, comme cela a été dit, la relation ne posant point une réalité dans » l'essence du sujet auquel elle est attribuée, ne fera point que les choses en » relation soient *autres*, mais seulement elle fera qu'il y ait *d'autres personnes*, » selon la manière dont nous avons interprété ce qui est très-difficile à com- » prendre. C'est en effet une règle très-vraie que les choses incorporelles, » diffèrent, *distant*, non point par la distance locale, mais par les caractères » distinctifs. Et l'on ne peut pas dire qu'un accroissement soit survenu à Dieu » qui l'a fait devenir Père ; il n'a jamais commencé d'être Père, parce que la » production du Fils lui est consubstantielle, tandis que la dénomination de » Père vient de la relation. Si donc nous rappelons toutes nos affirmations pré- » cédentes sur Dieu, nous devons dire que Dieu le Fils est engendré de Dieu le » Père et que le Saint-Esprit procède de tous deux. Mais puisqu'ils sont incor- » porels, ce n'est point par une distance locale qu'ils sont distincts l'un de » l'autre. » Or dans la nature divine, dit très-bien Boèce, il n'y a point de différence par laquelle Dieu puisse différer de Dieu. On compte donc les personnes de la Trinité par la relation, mais l'unité demeure quant à la substance.

[1] *Qu. de Potentia,* qu. IX, a. 5, ad. 14.

sanctus *ad aliquid* referantur necesse est, quod « cujus Pater » quæritur : in Deo autem, qui est veritas, hi tres conjuncti sunt, qua ex causa *substantialiter* prædicantur et unam veritatem, unum Deum efficiunt[1]. »

Hæc tam insolenter dicta vix confutatione indigent. Perspicuum est autem Obbario Ariadnæ filum deesse ut sua cæca vestigia dirigat. Ubi enim negat Boetius, ibi Obbarius ignorans affirmat. Est enim Boetii conclusio : « Quo fit ut *neque* Pater, *neque* Filius, *neque* Spiritus sanctus, *neque* Trinitas, de Deo substantialiter prædicetur, sed ut dictum est *ad aliquid*[2]. »

Non acutius intellexit Obbarius quæstionem de *prima* et *secundasubstantia,* seu de individuis, ac de speciebus, atque quæstionem de summo Bono. Hanc sublimem Boetii doctrinam ita deturpat :

« Summum illud bonum nobiscum *nascitur,* est idem quod Deus, et quoniam summi boni participes sumus, *nos omnes dii esse habemur*[3]. » Tum quasi indignabundus prosequitur Obbarius : « Num hæc et talia homo vere christianus, haud multum ante mortem eloqui potuit ac profiteri ? Hoc credat Judæus Apella ! »

Quid dicit autem Boetius ? « Omnis igitur beatus Deus,

---

[1] *Proleg. Loc. cit.*

[2] *Utrum Pater.*, sub finem. Liceat nobis denuo hæc gallice exponere. Dans ce petit traité, Boèce établit que les attributs absolus se doivent affirmer de la substance divine et conséquemment de toutes les personnes divines, qui ont toutes trois toutes les perfections de la nature divine. Mais il n'en est pas ainsi des attributs qui découlent de la relation entre les personnes. Ainsi on peut dire : le Père est Dieu, mais non le Père est la Divinité, ni la Divinité est le Père, ni la Trinité est la Divinité. Trinitas non pertinet ad substantiam. Ex his elucet Obbarium ne quæstionem quidem a Boetio solutam assecutum esse.

[3] *Proleg.*, p. XXVI.

sed *natura quidem unus, participatione vero* nihil prohibet esse quam plurimos[1]. » Hæc tam accurate ac diligenter dicta quis non miretur? Non paganum quidem, non stoicum, non neo-platonicum quemdam, sed merum purumque christianum denotant[2], licet indignetur Obbarius.

Huc usque de Obbario; sufficiunt enim, ut ejus apud posteros infringatur auctoritas. Eodem ictu feriantur necesse est quotquot in hujus jurant verba magistri, inter quos *Judicis de Mirandol,* juxta quem Boetius « nullo modo christianos sensus exprimit, » « merito suspectus est de crimine magiæ, » « conspirationem conflavit contra Gothorum imperium, » « cujus spuria sunt opuscula theologica, » « qui docuit communem esse naturam Dei et hominis... » Cur autem hæc tanta peccata Boetio imponuntur? — Quia Obbarius *magister dixit*[3]. De vario Boetii stylo ac dicendi genere contra Obbarium simul et Nitzschium superius disputavimus.

II. — Ex Obbarii *Prolegomenis* dubium circa Boetium

---

[1] *Consol.*, III, pr. 10.

[2] Cf. I Joan., III, 2. « Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. » — II Pet., I, 4..., ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ. — Apud Patres et Doctores Ecclesiæ occurrunt frequenter voces θεοῦσθαι, θεώσις, *deificari, deificatio.* Intra Missam ita sonat oratio ad Offertorium : « Da nobis per hujus aquæ et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus, Dominus noster.

[3] « Obbarius, un des derniers venus dans la lice, peut passer à bon droit pour avoir enfin rendu à l'auteur de la *Consolation* philosophique son vrai personnage et son vrai caractère... C'est ce savant écrivain que nous avons consulté avec le plus de fruit... Ce que notre travail peut contenir de nouveau est donc moins à nous qu'à l'habile professeur d'Iéna... A quel titre Boèce eût-il pu prétendre au martyre?... Où est la preuve même qu'il ait été chrétien... Rien n'est moins certain que l'authenticité de ces ouvrages (théologiques); et par une critique rapide, mais concluante (!), Obbarius a démontré qu'ils n'ont rien de commun avec les idées, le style de Boèce... (*Introd., passim.*). »

christianum ac theologum Galliam invasisse videtur. Inde quædam in Sorbona doctissimi viri V. Le Clerc de Boetio prælectiones; inde docti C. Jourdain dilecti magistri Le Clerc vestigia prementis hypotheses.

Boetius ille, ait D. Jourdain, quem colunt Papiæ fideles christiani ut martyrem, non est ille Anicius Boetius auctor libri de Consolatione philosophiæ. Fuit enim inter episcopos ex Africa depulsos, in persecutione Vandalica, anno 504, Boethus quidam, cujus nomen cum Anicio Boetio confunditur, inde præsertim quod ætate Luitprandi Longobardorum regis, anno 725, reliquiæ S. Augustini ac quorumdam pro christiana fide exulum e Sardinia Papiam translatæ sunt. Episcopus Boethus vere fuit christianus, martyr, ac probabiliter auctor eorum opusculorum quæ Boetio philosopho adscribuntur. Confusio nominis errorem induxit circa personam; ex hoc fonte dimanarunt traditiones per totum medium ævum diffusæ de philosopho Boetio christiano, martyre ac theologo[1].

---

[1] *De l'origine des traditions sur le christianisme de Boèce.* Mémoires présentés à l'Académie, tom. VI, ann. 1860, p. 331 et suiv. : « Boèce a-t-il été le fervent chrétien que l'histoire ecclésiastique nous représente ? Est-il l'auteur des ouvrages de théologie qui portent son nom ? Sa foi religieuse a-t-elle contribué aux persécutions dont il fut victime ? Il y a plusieurs années M. V. Le Clerc posait déjà ces questions, et il les tranchait par la négative dans une série de leçons dont le souvenir est encore vivant chez ceux qui les ont entendues. Mais c'est en Allemagne surtout que l'opinion commune a trouvé de nombreux contradicteurs.

Cependant voici que vers l'an 725, le roi des Lombards, Luitprand, élève à Boèce un mausolée à Pavie, dans l'église de Saint-Pierre-au-Ciel-d'Or, fondée depuis peu. C'est ce mausolée aujourd'hui détruit, que Dante avait visité, et dont il est question dans ces vers de la *Divina Commedia...*

Nous venons de marquer, je crois, l'époque précise où la tradition du Christianisme de Boèce a pris naissance en Italie et de là s'est répandue dans toute l'Europe. Mais comment cette tradition a-t-elle pu se former ? Quel motif poussa Luitprand à élever un tombeau dans une église chrétienne, près du maître-

Hoc D. C. Jourdain inventum, « speciosam conjecturam » indulgenter nimium vocat Peiper, nos vero gratuitam ac docto viro non satis dignam.

Quonam enim fundamento innitatur ista D. C. Jourdain hypothesis inspiciamus :

Nomem *Boethus*, aiunt, cum Boetio permutatum fuit. — At neque in monumentis diptychis, neque in scriptis hujus mutationis vestigium apparet. *Boetium* laudant Ennodius, Cassiodorus, Isidorus Hispalensis, Alcuinus, Anonymus Valesianus, Procopius et alii. Vetustissimi codices, Einsidlensis et duo Bernenses, quos ipsi inspeximus, *Boetii* nomen referunt. Quin et ipse Anonymus Ticinensis qui sæculo XIII° de laudibus Papiæ civitatis suæ scripsit, hæc habet : « Et in hac urbe ipsa Boetius trucidatus occubuit, sicut patet in versibus ejus tumulo inscriptis qui sic sonant[1] :

> Hoc in sarcofago jacet ecce Boetius arcto
> Magnus et omnimodo magnificandus homo... etc.

Aliter quidem Jul. Martianus Rota qui *Consolationem* edidit, anno 1570, hos versus descriptos refert in epistola nuncupatoria : Circumfertur, ait, et aliud elogium (præter illud Gerberti : *Roma potens,* etc.), quo sepulchrum ejus exornabatur antea quam illis a Luithprando Longobardo rege collocaretur :

---

autel, en l'honneur d'un personnage illustre sans doute, mais qui ne se recommandait jusque-là que par des titres purement profanes ? Ce motif fut, autant qu'on peut le supposer, une confusion de personnes dont je crois avoir découvert l'origine. Dans le cours du VIe siècle, le nom de Boèce était assez commun... etc.

[1] *Apud Muratori,* Script. rer. italic.

Ecce *Boethus* adest in cœlo magnus et omni
Perspectus mundo, mirus habendus homo... etc.

Jam vero certum est codicem Laurentianum unde depromitur ista lectio recentiorem esse (sæc. XIII°) cæteris quos contulimus ; 2° Baronium qui Martianum Rotam exscripsit, nihilominus *Boetium*, non *Boethum* in suis scriptis retinere ; 3° in aliis ejusdem codicis locis *Boethium* quidem inveniri ac nusquam alias *Boethum*, nisi in hoc versiculo, ut a poetica lege imperabatur ; 4° varia elogia quæ leguntur apud Peiper[1] varios Boetii nominis scribendi modos referunt : *Boetius*, *Boethius*, *Boecius*, nusquam vero *Boethus*. In codice Leidensi legitur :

Invictus, constans Anicius, ortus ex urbe,
Torquati genus, exconsul famosus et exul
Patriciusque bonus, mage civibus atque ΒΟΗΘΟC...

Hanc autem scriptionem ex etymologia græca exponunt varii codices quasi Boetius *auxiliator* ac *defensor* esset civibus. Jam vero contra hanc etymologiam non contendimus, Hoc solum retinemus nomen *Boethus* cum *Boetio* non esse decursu temporis permutatum.

Sequentia contra D. C. Jourdain hypothesim addantur :

1° Mirum prorsus et inauditum esset, virum tantæ doctrinæ, utpote auctorem operum theologicorum qui *Boethus* supponitur, nequidem ut scriptorem qualiscumque operis notari in Historia ecclesiastica, ac penitus ignotum remansisse ;

---

[1] *Introd.*, p. XXXIV et seq.

2° Leguntur adhuc hodie, in martyrologiis catalogi episcoporum africanorum in Sardinia defunctorum, abest autem *Boethi* nomen;

3° Quæritur unde collegit D. Jourdain honores cultus publici a Luitprando rege *Boetho* cuidam fuisse collatos;

4° Perennis autem exstit in papiensi ecclesia, inde ab antiquissima ætate, memoria sancti Severini Boetii, martyris, ut testantur Acta Sanctorum, ac nullum reperitur vestigium cujusdam Boethi, confessoris. Hoc firmissimum et invictum remanet contra D. Jourdain hypothesin argumentum.

III. — Nunc ad Fr. Nitzschii systema progrediamur. Majorem apud hodiernos criticos fidem invenit Fr. Nitzschii de Boetio systema[1], licet iisdem vitiis laboret ac D. Jourdain « speciosa conjectura. »

Totus in eo est Nitzschius ut demonstret Boetium, licet origine christianum, ac baptismo initiatum, cum christianis amicis conversatum (p. 40, 46, 172), non quidem ut christianum, sed ut paganum, philosophiam coluisse. Ejus enim philosophia, ait, nullo specifico christiano caractere insignitur, quin imo fidei christianæ adversatur (p. 172 et passim). Igitur impossibile est Boetium esse genuinum auctorem eorum quæ ipsi adscribuntur opusculorum.

Hæc est Nitzschii summa systematis.

Jam antea illud perspicuum effecimus boetianam philosophiam apprime cum doctrina christiana conciliari, ac verisimillimum esse Boetium theologiæ christianæ addi-

[1] *Das System des Boethius*, und die ihm Zugeschriebenen theologischen Schriften, von Friedrich Nitzsch. Berlin, 1860.

scendæ summam ingenii sui vim admovisse. Hæc duo autem sibi adversantia, Boetium scilicet christianum professione, philosophiam edidisse anti-christianam, ne vel unico verbo quidem, explanare tentat Nitzschius. Res tamen foret magni momenti. Contra singulorum opusculorum *authentiam* varia opponit quæ nunc ad diligentissimum examen revocare nobis in animo est :

Theologus habetur Boetius, inquit, ea falsa suppositione quod martyr fuerit ; jam vero Boetii martyrium ad *Legendam* et fabulas pertinet (p. 172). Maximam imperitiam exhibet in tractandis Categoriis (p. 121) auctor libri *de Trinitate*, scilicet *Pseudo-Boetius*. Permultas barbaras voces refert, ciceronianæ latinitatis immemor (p. 118). Dum verus Boetius Categoriam *relationis* explicat[1], ne verbum quidem profert de S. Trinitate, licet eadem exempla afferat ac in libro Pseudo-Boetii (p. 116). Non concordat doctrina Boetii de Deo in lib. *de Interpretatione*[2] cum doctrina libri *de Trinitate*. Pseudo-Boetius in titulo operis Symmachi nomen inscripsit, ut sese Boetio philosopho substitueret, ac legentibus fucum faceret (p. 122). Dum obsuras atque inconsequentes periodos continuat, sese a philosophi dicendi genere alienum exhibet (p. 122). Scholastico colore distinguitur (p. 123). Nulla sunt quæ pro authentia hujus libri afferuntur (Ibid.). Silent Cassiodorus et Isidorus hispalensis, Alcuinus solus librum *de Trinitate* memorat, non prævalet autem istud testimonium eo ipso tempore editum quo Pseudo-Areopagita ut genuinus auctor

---

[1] Migne, tom. LXIV, col. 228 et 236.
[2] *De Interp.* Edit. 2ª, Migne, LXIV, col. 416.

habebatur (p. 123). Quonam autem tempore exaratum fuerit volumen *de Trinitate* incertum est; pertinere tamen videtur ad ætatem Boetio posteriorem, nam multa continet, sive verba, sive sententias, quæ ex hujus philosophi libris desumuntur (p. 173).

Hæc est summa rationum a Nitzschio[1] contra librum *de Trinitate* inductarum. Ex his perpauca tantum refellenda curabimus.

Opponitur doctrina de Deo, desumpta ex libro *de Interpretatione*, huic doctrinæ quam refert Liber *de Trinitate*, sed immerito. Primo, ita loquitur Boetius de simplicitate Dei : « In omnium maximo Deo quidquid intelligitur, non in eo accidentaliter, sed substantialiter intelligitur, etenim quæ bona sunt substantialiter de eo non accidentaliter credimus[2]. » Eadem repetit Boetius aliis verbis in libro *de*

---

[1] In recentissima editione, W. S. Teuffel, *Geschichte der roemischen Literatur*, Leipzig, 1875, concludit auctor contra Boetium theologum. Cum autem ad Nitzschium sese referat, ac litem dirimat *juxta Nitzschii figmenta*, quotquot collegimus argumenta contra berolinensem criticum etiam contra Teuffel maximam habent vim. Dicit enim de opusculis theologicis : « Deren vollstaendige Unaechtheit ist unzweifelhaft (!!!), und von F. Nitzsch ausführlich ueberwiesen. » Tum sequentes affert rationes :

I. Nulla vestigia christianæ doctrinæ in *Consolatione* inveniuntur. *Resp.* Negatur : 1° Adsunt permulta vestigia quæ retulimus; 2° hic liber circa philosophiam conscriptus est, ut satis ex titulo patet; ergo exinde sequitur, auctorem suum propositum persequi, nec *ad aliud genus* transire; 3° tunc temporis philosophia erat adhuc tota disserendi ratione gentilis. Ergo nihil inde contra Boetium theologum.

II. Nulla religionis ac pietatis vestigia apparent in libris Boetii, ergo maxima indifferentia laborat circa istiusmodi *religiosas* quæstiones Boethius. *Resp. Nego antecedens.* Permulta loca attulimus ex quibus liquet Boetium virum religiosum fuisse. Ita testantur etiam rerum scriptores bene multi. Et *Nego consequent.* Ex eo quod Boetius librum conscripserit non *specifice* christianum, nullo modo sequitur ipsum non potuisse *alios libros* circa theologiam exarare. De cœtero nihil fidei christianæ directe oppositum scripsit Boetius. Ipsi ergo patrocinantur hæc verba Evangelii : « *Qui non est adversum vos, pro vobis est* (*Luc.*, IX, 50). »

[2] Migne, tom. LXIV, col. 416.

Trinitate : « Deus vero a Deo nullo differt, ne vel accidentibus vel substantialibus differentiis in subjecto positis distent [1]. » Quid inde ? — Illud solum : non esse in Deo differentiam neque accidentalem, neque substantialem, sed tantum relationum differentias, quibus in eadem essentia distinguuntur tres personæ.

Addit Nitzschius aliter a Boetio, aliter a Pseudo-Boethio categoriam relationis de Deo prædicari. Dicit Boetius : « (Relativa sunt) quorum substantia est *ad aliquid aliud* referri, et quæ ita sunt ut ipsa id quod sunt *ad aliud* referantur, et esse eorum sit *ad aliquid aliud* referri [2]. » Auctor autem libri *de Trinitate* asserit relationem non semper esse ad aliud, sed esse posse ad idem : « Sane sciendum est non semper talem esse relativam prædicationem, ut semper ad differens prædicetur... relatio est in Trinitate Patris ad Filium et utriusque ad Spiritum sanctum ut ejus quod est idem ad id quod est idem [3]. » Quid inde ? — Illud solum : vocem *personæ* in Trinitate esse relativam ac directe et formaliter designare in Deo proprietatem relativam, indirecte autem et secundario notare substantiam [4]. Involvit ergo relationem ad differentem et relationem ad idem. Ergo nulla contradictio in Boetii doctrina.

Secundum Opusculum, *Utrum Pater* [5], etc., non novis quidem artibus impetit Nitzschius. Recantat enim « illud prodire non posse a Boetio philosopho anti-christiano ; »

---

[1] *De Trinit.*, c. III.
[2] Migne, tom. LXIV, col. 236.
[3] *De Trinit.*, c. VI.
[4] Cf. Perrone, *Tract. de Trinit.*, Migne, col. 485.
[5] Migne, tom. LXIV, col. 1299 ; Peiper, p. 164.

« sibi contradicere in Categoriarum doctrina Boetium auctorem opusculi (p. 126) ; » « Insulsa esse hæc verba in ore Boetii : fidem si poteris rationemque conjunge (p. 128) ; nam Boetius, utpote dialecticus, minime necessariam æstimare debuit christianæ fidei in sua disquisitione immixtionem (*Ibid.*). »

Hic notare sufficiat Nitzschium perperam intellexisse hæc Boetii verba quæ sat acriter reprehendit. Ad Joannem romanæ Ecclesiæ diaconum, ut doctrinæ suæ judicem, opusculum dirigit Boetius, ac sub finem ita precatur : « Hæc si se recte et *ex fide* habent, ut me instruas peto ; aut si aliqua re forte diversus es, *diligentius intuere quæ dicta sunt, et fidem si poteris rationemque conjunge.* » Hæc ultima verba, ni fallor, non quidem ad dialecticam Boetii methodum alludunt, sed ad emendationem quam ab amico, Joanne diacono, expostulat Boetius, « si forte aliqua re diversus est ; » eamque correctionem fieri precatur ita ut *fides,* id est ecclesiastici dogmatis enunciatio, cum *ratione,* id est cum ratione quam *theologicam* vocant, conjungatur. Hæc autem Boetii precatio insulsa nullo modo adparet ; et Nitzschii gladius vanas diverberat umbras.

Quo prima specie temperantius eo re infestius tertium opusculum *de Persona et Natura* impetit criticus noster. Hujus libri auctor, inquit « singula fere christianæ fidei dogmata confitetur, » ergo Boetius non est, qui in *Consolatione* de christianis rebus tacet præsertim de peccato, ac de corporum resurrectione (p. 155 et 156). Hæreticos dicit « *sacrilege* et *impie* » contra Ecclesiæ doctrinam egisse (p. 155). Idem auctor contumeliose loquitur de philosophis dicendo : « sicut Aristoteles cæterique ejusmodi et multi-

modæ philosophiæ sectatores putant. » Boetius autem Stagiriten vocat : Aristoteles meus, ergo inter se non conveniunt (p. 156). Tempus autem quo fuit exaratus liber ille non congruit cum Boetii tempore. Prodiit enim, *ut conjicere licet,* brevi post Chalcedonense concilium, anno 451 (p. 136). Ideo *dubitandum* est an (p. 135) Epistola ab episcopis Orientalibus, anno 512 vel 513, ad Symmachum papam directa ullam relationem habeat cum isto opusculo (p. 158). Incidit *ergo* ante tempora Boetii. Confirmatur autem hæc conjectura ex eo quod auditor Epistolæ quæ legitur in conventu dicat se « percussum esse *novitate* cujus dicti, » scilicet formulæ *ex* duabus ET *in* duabus naturis. Si ergo novitatem habet hæc formula sequitur auctorem brevi post Chalcedonense concilium hunc librum scripsisse (p. 158). Tandem conscripta est Epistola Orientalium a permultis episcopis; quæ autem legitur in conventu ab uno tantum, qui vocatur « episcopus scriptor Epistolæ » (p. 136).

Hæ sunt Nitzschii rationes contra tertium Boetii opusculum.

Jam monuimus antea (1a *Parte*, p. 47) tantam esse concordiam [1] in rerum et dictionum serie inter Epistolam

---

[1] Operæ pretium est hanc utriusque instrumenti concordiam ob oculos ponere, ut dubitandi nullus remaneat locus :

EX ORIENTALIUM EPISTOLA.	EX LIBRO BOETII CONTRA EUTYCHEN.
... Inter duas diabolici vias erroris Eutychis atque Nestorii, tertiam imo mediam nobis ostendas expressius veri rectique dogmatis viam... sicut inter Arii et Sabellii sententiam ostenderunt SS. Patres viam mediam	Prius extremi sibique contrarii Nestorii atque Eutychis summoveantur errores, post vero, adjuvante Deo christianæ medietatem fidei temperabo... Mediaque hæc est inter duas hæreses via, sicut virtutes quoque me-

Orientalium et librum *de Persona et Natura*, ut nequaquam sit satis ad eorum coævam originem negandam vel conjecturam fingere, vel leviores rationes exprimere. Jam vero certum est ex hac Orientalium Epistola quæ ad Symmachum papam dirigitur, atque intra an. 498 ac 514 incidit, quæstionem de formula *in* et *ex* duabus naturis, adhuc inusitatam fuisse ; potuit ergo conscribi liber contra Euty-

---

veritatis... sic et vos illuminate nos... quæ est inter sententiam Eutychis et inter Nestorii vera rectæ fidei confessio...

... Ne rursus propter immaculati partus duas naturas et substantias occasionem apprehendentes, qui secundum Nestorium sapiunt, duas personas, aut duos filios, vel duos Christos male introducant.

... Nos enim, Beatissime Symmache, eumdem esse *ex* duabus naturis, et *in* duabus naturis, et non sicut illi dicunt, ex duabus naturis unam naturam post adunationem, *in* duabus autem subsistentibus naturis eum unitate non pati confiteri... sed illis *ex* duabus quidem naturis dicentibus, nos *in* duabus pariter dicimus. — Ex duabus enim dicentes, in quibus subsistit unitas, *in* duabus autem in quibus visus est et palpatus, et assumptus post passionem.

dium tenent. Omnis enim virtus in medio (Peiper, p. 188).

Nestorius arbitratur non posse esse naturam duplicem, quin persona fieret duplex, atque ideo, cum in Christo naturam duplicem confiteretur, duplicem credidit esse personam (p. 202).

Eutychen confiteri diximus duas quidem in Christo ante adunationem naturas, unam vero post adunationem... restat ut quemadmodum catholica fides dicat, et *in* utrisque naturis Christum, et *ex* utrisque consistere doceamus. Ex utrisque naturis aliquid consistere duo significat : unum quidem cum ita dicimus, aliquid ex duabus naturis jungi, sicut ex melli atque aqua, id autem est, ut ex quolibet modo confusis, vel si una vertatur in alteram, vel si utræque in se misceantur invicem, nullo modo tamen utræque permaneant, secundum hunc modum Eutyches ait, ex utrisque naturis Christum consistere. Alter vero modus est ex utrisque consistendi... ut illa ex quibus junctum esse dicitur maneant nec in alterutra vertantur... Cum igitur utrasque manere naturas in Christo fides catholica confiteatur... jure dicit et *in* utrisque naturis Christum et *ex* utrisque consistere (p. 210 *et seq.*).

chen a Boetio ipso, qui ad suum librum exarandum præ oculis habuit, tum hanc Epistolam, tum Epistolam S. Leonis ad Flavianum. Quid a Nitzschio opponitur his tam expressis Hincmari verbis ? « Et Boetius *in Libro ad Joannem,* diaconum romanum, postea autem episcopum, quem Beatus Gregorius in libro Dialogorum persecutione Theodorici regis Ariani martyrio glorificatum fatetur, dicit... etc. » Etiamsi jam in Oriente viguerit formula *in* et *ex*, et ibi apud omnes divulgata fuerit, recte potuit eam ignorare auditor Epistolæ Orientalium Romæ recitatæ, et asserere se « percussum esse *novitate* cujus dicti. » Firmissime tenemus contra Nitzschium *nullum documentum publicum afferri posse ante annum* 511 *vel* 513, *quod duas particulas* IN et EX *conjunctas contineat.* Ergo Boetius hanc conjunctionem cum primum audierit recte ac merito ut *novam* mirari potuit. Quod Boetius aliquid contumeliose contra Aristotelem ac philosophos dixerit in hoc Libro *de Persona* et *Natura* non facile perspicitur. Hæc sunt verba Boetii : « quod si naturæ nomen, relictis incorporeis substantiis, ad corporales usque contrahitur, ut corporeæ tantum substantiæ naturam habere videantur, *sicut Aristoteles cæterique et ejusdem et multimodæ philosophiæ sectatores putant,* definiemus [1] etc. » Quid his verbis in philosophos contumeliose dictum sit, quærimus. An verbum « multimodæ? » — Nihil contumeliæ, ut reor, continent hæc verba Apostoli : Multifariam *multisque modis* olim Deus loquens... » In mota quæstione utrum « corporeæ tantum substantiæ naturam habere videantur, certum est Boetium, etiam ut philoso-

---

[1] *Lib. cont. Eutych.,* c. I, Peiper, p. 190.

phum, Platoni et Eleaticis adhæsisse, quid mirum si Boetius theologus eamdem exprimat sententiam ac sese ut vere *eclecticum* præbeat? Quod attinet ad confusionem inter vocabula græca ὑπόστασις et ὀυσία quæ ad significandam *substantiam* à Græcis promiscue usurpantur, et quorum sensus pendet, juxta Boetium, ex « arbitrio locutionis ecclesiasticæ [1], » jam admonuit D. Augustinus : « Aliter enim Græci accipiunt *substantiam* quam Latini : a Græcis dictum est : una essentia, tres *substantiæ ;* a Latinis autem una essentia tres *personæ* [2]. »

Cuilibet autem Librum *de Persona et Natura* perlegenti perspicuum est disserendi methodum, sententiarum brevitatem, orationisque conformationes sive cum philosophicis Boetii scriptis, sive cum opusculis theologicis, inter se collatis, apprime consonare [3]. Ex his rationibus in unum collectis standum opinamur pro authentia hujus Libri, ac Boetium auctorem esse genuinum affirmandum.

De quarto theologico opusculo[4] perpauca notanda remanent. Segnius illud impetit Nitzschius. Quinimo multo plura pro ejus genuina a Boetio origine argumenta colligere quam rationes contrarias opponere nititur. An confutatione indiget hæc centies recantata argumentatio? « In *Consolatione* tacet Boetius de fidei christianæ dogmatibus ;

---

1 *Lib. cont. Eutych.*, c. IV.

2 *De Trinit.*, lib. VII, c. IV.

3 Hanc miram consonantiam ipse fatetur Nitzschius : « Bei unserer Abhandlung kam nun das vielfache Zurückgehen auf griechische Ausdrücke dazu. Man liess sich dadurch an die Uebersetzungen des Boethius aus Aristoteles und Porphyrius erinnern.... Auffallende Anklaenge an Stellen aus des Boethius aechten Schriften (p. 158 et 159). »

4 *De Fide catholica*, Peiper, p. 175 ; — Migne, tom. LXIV, col. 1333.

hic autem singula fidei dogmata explicantur. Ergo auctor *Consolationis* alius est ac auctor Libelli *de fide catholica* (p. 168). » Quare enim Boetius non consulto instituerit ex mera philosophiæ scientia remedium exprimere, « quo, ut ait Joannes Sarisberiensis, exulceratis hujus ætatis mentibus medeatur, » ita ut « nec Judæus quidem, nec Græcus, *sub prætextu religionis,* medicinæ declinet usum[1] ? » Annon viam fidei veritatibus aperuit Boetius cum, inter tantas hujus temporis calamitates, nec deesse bonis præmia nec malis pœnas, in suo de *Consolatione* philosophiæ tam præclaro libro firmissimis argumentis demonstravit[2]? Si autem Deus per suam Providentiam omnia ad suos fines ordinat, et istius ordinationis, per media idonea in temporis decursu subministrata, exsecutionem, causis naturalibus mandat, cur non Boetius hanc etiam specialem Dei Providentiam consideraverit, quam « Prædestinationem divinam » nominat, cujusque objectum et finis est visio Dei beatifica ? Hanc autem visionem pulcherrimis his versibus exornat :

Da fontem lustrare boni, da, luce reperta
In te conspicuos animi defigere visus.
. . . .
Tu requies tranquilla piis, Te cernere finis,
Principium, Vector, Dux, Semita, Terminus idem[3].

Visio autem Dei extra philosophiæ fines posita est, necnon et media ad hanc adipiscendam. Quid igitur mirum si

---

[1] Migne, tom. CXCIX, col. 672.
[2] *Consol.*, IV, pr. 6.
[3] *Cons.*, III, met. 9,

Boetius hoc « prædestinationis divinæ » consilium in opusculo *de fide catholica* descripserit et universa ad hoc Dei consilium, per humani generis redemptionem reduxerit[1] ? Ita opinatur Nitzschius, et illi nos vehementer assentimur. Fatetur enim « auctorem libelli nostri ad quintum vel ad sextum sæculum pertinere ; » illius « dicendi genus esse vi ac brevitate conspicuum ; » « nullum aliud opusculum magis opinionem confirmare Boetium martyrem fuisse christianæ fidei (p. 170) ; » « doctrinam christianam juxta tria œcumenica symbola exponi, via quidem historica, sed hac conditione ut universa ad unum Dei consilium redigantur. » Hoc unum consilium est redemptio generis humani, scilicet ut « superna civitas » ab angelis desertoribus imminuta, hominum frequentia reparetur (p. 167). Notat Nitzschius hæc mira prorsus Boetii verba quæ omnium temporum hæreticos percellunt : « Nec vile » videatur, quod Dei Filius ex Virgine natus est, quoniam » præter naturæ modum conceptus et editus est. Virgo » itaque de Spiritu sancto incarnatum Dei Filium concepit, » Virgo peperit, post ejus editionem Virgo permansit. » Atque hominis factus est idemque Dei Filius, ita ut in eo » et divinæ naturæ radiaret splendor et humanæ fragilitatis » appareret assumptio[2]. » Hoc autem solum miratus est criticus auctor Mariam appellari « matrem conditoris generis humani. » Diligenter autem de « Ecclesia catholica » dicit Boetius : « Quidquid in ea tenetur auctoritas est Scripturarum aut Traditio universalis... sed *auctoritate* tota

[1] *De fid. cath.*, Peiper, p. 185. Solumque esse præmium beatitudinis : contemplatio creatoris tanta duntaxat, qua ut creaturæ ad creatorem fieri potest.
[2] Peiper, p. 182.

constringitur... » Hæc quam longe distent a *Reformatorum* sententia nemo non videt. Concludamus ergo cum Nitzschio « nullum esse fundamentum cur negetur hoc opusculum pertinere ad Boetii tempora (p. 170) », et cum tota omnium ætatum traditione illud Boetio tanquam genuino auctori adscribamus.

De opusculo *Quomodo substantiæ...* tacet Nitzschius eo quod illud opusculum ad theologiam non pertinere sed esse mere philosophicum censet. Ejus authentiam recipit Peiper[1]. In eo quæstionem movet Boetius *de modo quo creaturæ bonæ procedant a Deo bono,* quæ quidem quæstio ab utraque scientia sed diversis rationibus agitari ac solvi potest. Hic procedit Boetius « ut in mathematica fieri solet, » præponendo principia et regulas, et hæc principia subjectæ materiæ adaptando. Præmittuntur ergo principia, quæ postea ad hæc tria adaptantur, nempe ad *ens, unum, bonum.* Disseritur ergo de ente abstracto et concreto, de ente substantiali et accidentali ; tum de ente simplici, in quo *esse* et *id quod est* sunt unum et idem, et de ente composito. Tandem affertur peripatetica definitio boni : Bonum est quod omnia appetunt ; « omne autem tendit ad simile ; quæ igitur ad bonum tendunt bona ipsa sunt. » Sed si omnia quæ sunt, bona sunt, quæritur utrum *ex se* et *essentialiter* bona sint, utrum *per participationem.* Si autem omnia sunt substantialia bona, primo Bono similia sint necesse est, « ac per hoc ipsum Bonum erunt... ex quo fit ut omnia quæ sunt Deus sint, quod dictu nefas est. »

---

[1] « De Opusculo *Quomodo substantiæ* ne Nitzschius quidem (p. 24, not. 1), neque Jordanus (p. 11), quidquam habere se fatentur quare non possit a Boetio scriptum esse (*Introd.*, p. XXIII). »

Restat ergo quod bona sint *per participationem.* Est ergo in rebus bonitas accidentaliter, « quoniam ex voluntate Dei fluxerunt ut essent ; est etiam in nobis alia bonitas quæ ex bonis actibus provenit. Ita Boetius. Perspicuum est præcipua quæ in hoc scripto continentur eadem inveniri, sive in *Consolatione*, sive in Libro *de Trinitate*, sive in Tractatu contra Eutychen et Nestorium. Sit in exemplum idea *participationis.* Eadem prorsus doctrina occurrit circa universorum a Deo participationem in libro *Quomodo substantiæ...* ac in cæteris libris. Ait enim Boetius : « Quæ igitur ad bonum tendunt bona ipsa sunt, sed quemadmodum bona sint, inquirendum est, utrumne participatione, an substantia[1] ? » In *Consolatione* eadem utitur argumentandi ratione : « Omnis igitur beatus Deus, sed natura quidem unus, participatione vero nihil prohibet esse quam plurimos[2]. » Summum bonum, ait Boetius, est unum : « unum enim solumque est hujusmodi, quod tantum bonum aliudque nihil sit[3]. » Eadem profitetur in *Consolatione* : « Oportet igitur idem esse unum atque bonum simili ratione concedas[4] ; » et in libro *de S. Trinitate :* « Quocirca hoc vere unum in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud præterquam id quod est[5] ; » ac demum in opusculo *Utrum Pater...* de Deo legitur : « una igitur substantia trium nec separari ullo modo aut disjungi potest, nec velut partibus in unum conjuncta est, sed est una simpliciter[6]. » Quam

---

1 *Quomodo subst.*, Peiper, 170.
2 *Cons.*, III, pr. 10.
3 *Quomodo subst.*, Peiper, p. 172.
4 *Cons.*, III, p. 11.
5 *De Trinit.*, Peiper, 153.
6 *Utrum Pater*, Peiper, 165.

vere hæc dicta sint et quam apte iisdem fere verbis, inter se cohæreant nemo non videt. Finem ergo faciamus concludendo illud opusculum sicut quatuor alia Boetio auctori adscribendum esse.

CAPUT SEXTUM.

APTISSIME COHÆRENT PHILOSOPHICA AC THEOLOGICA BOETII OPERA.

Cuilibet paulo attentius, et omni præjudicata opinione seposita, philosophica et theologica Boetii opera perlegenti manifeste apparet maxima inter utraque rerum cohærentia. Eadem circa difficillimas quæstiones doctrina, eadem sententiarum conformatione exprimitur. Quam conjuncto vinculo inter se cohæreant utriusque scientiæ, tam rationis quam christianæ fidei documenta Nitzchium ipsum minime fugit, ita ut ad hanc intimam connexionem explicandam quemdam Pseudo-Boetium finxerit, qui Anicii nostri assidua lectione ejusdem scribendi genus, sententiarum orationisque conformationem imitatus sit, et ita posteris fucum fecerit [1]. Ut hanc Nitzschii gratuitam hypothesim penitus subvertamus, nobis in animo est sub oculis legentium ponere præcipua quæ in utrisque operibus aptissime cohærent, tum circa tempus vel modum scriptionis, tum circa doctrinam ipsam philosophicam et theologicam.

---

[1] *Das System. des Boethius*, pages 117, 122, 127, 158.

Philosophi Boetii coætaneum esse auctorem theologicorum opusculorum permultis in locis fatetur Nitzschius ipse. Libri *de Trinitate* auctorem vixisse asserit post D. Augustinum et ante sæculum octavum [1]. Ad eamdem fere ætatem refert « exercitium illud dogmaticum » circa modum prædicandi divinitatem de Patre, de Filio, de Spiritu sancto, cui titulus : *Utrum Pater*... etc. [2].

Tractatum *contra Eutychen et Nestorium* 40 vel 60 annis post Chalcedonense concilium (451) exaratum esse contendit, hac sola innixus conjectura quod auditor Orientalium Epistolæ percussum fuerit *novitate cujusdam theologicæ locutionis* [3] quod argumentum infirmum prorsus esse superius ostendimus. Contra Nitzschium autem contendunt Baur et Suttner librum contra Eutychen aptissime cohærere cum Orientalium Epistola anni 512 et ita intra Boetii tempora incidere. Circa opusculum de *Fide catholica* asserit illud tantum Nitzschius auctorem vixisse vel quinto vel sexto post Christum sæculo [4]. Ergo teste adversario nostro in Boetii ætatem incidunt quæ controvertuntur theologica opuscula.

Si autem ad scribendi rationem, ad sententiarum conformationem advertimus luculenter apparebit hæc opuscula a laico, sed christiano viro, conscripta esse, in peripatetica philosophia multo magis quam in sacrarum litterarum lectione versato, qui in necessaria vixit consuetudine cum

---

[1] Dass nun unser Verfasser nicht spaeter, als in achten Jahrhundert gelebt hat, ist sicher (p. 117).

[2] *Ibid.*, p. 127.

[3] *Ibid.*, p. 131.

[4] *Ibid.*, p. 170.

quibusdam doctis et catholicis viris, ad quorum judicium sese humillime subjecit : « Nunc ait, vestri normam judicii » expectat subtilitas quæstionis : quæ utrum recte decursa » sit, an minime vestræ statuet pronuntiationis aucto- » ritas [1]. » « Qua in re si quid perperam dictum est, non » ita sum amator mei, ut ea quæ semel effuderim meliori » sententiæ anteferre contendam [2]. » « Non igitur ambigo » quin pro tua in me benevolentia supervacua reseces, » hiantia suppleas, errata reprehendas, commode dicta » mira animi alacritate suscipias [3] » « Hæc si recte et ex » fide se habent, ut me instruas peto, aut si aliqua re forte » diversus es, diligentius intuere quæ dicta sunt, et fidem » si poteris rationemque conjunge [4]. » Quam hæc apte cohæreant cum iis quæ superius dicta sunt de Boetii amicissimis viris, Symmacho socero et Joanne diacono, nemo non videt.

Cum opusculorum clausulis concordant Proœmia. In his impetit Boetius « indoctorum hominum audaciam, qui » inscientiæ vitium præsumptionis atque imprudentiæ » nube conantur obducere [5]; » tum etiam « ignavam segni- » tiem, callidum livorem quocumque occurrentem [6]; » tum « obliquis morsibus quæ ardua sunt et magno labore ac » legentium utilitate digesta obtrectantes [7], » tum « obla- » trantis morsus invidiæ [8]; tum eos « quorum lascivia ac

---

[1] *De Trinit.*, Peiper, 163.
[2] *Contra Eutychen*, Peiper, 217.
[3] *De Arithmetica Præfat.*, Migne, tom. LXIII, col. 1080.
[4] *Utrum Pater*, Peiper, 167.
[5] *Cont. Eutych.*, Peip., 187.
[6] *De Trinit.*, Peip., 150.
[7] *De Divisione*, Migne, tom. LXIV, col. 877.
[8] *In Topica Cic.*, lib. IV, Migne, tom. LXIV, col. 1107.

» petulantia nihil a joco risuque patitur esse disjunctum[1] »
» Hæc omnia aptissime consonant cum iis quæ de ingenio ac Boetii moribus diximus, plus æquo inquieti, et tam vehementer contra inimicos in *Consolatione* exclamantis :
« Videre autem videor nefarias sceleratorum officinas,
« gaudio lætitiaque fluitantes, perditissimum quemque
» novis delationum fraudibus imminentem, jacere bonos
» nostri discriminis terrore prostratos, flagitiosum quem-
» que ad audendum quidem facinus impunitate, ad effi-
» ciendum vero præmiis incitari, insontes autem non modo
» securitate, verum ipsa etiam defensione privatos[2]. »

Illud certe mirum foret si Boetius in scientiis naturalibus, mathematicis, ac philosophicis alacri ingenio versatus et tam subtiliter exercitatus, a theologicis studiis, ut vult Nitzschius[3], alienus remansisset. Dubitandum ne est Boetium ignoravisse tam sublimem D. Augustini de Trinitate doctrinam? An credendum ipsum nihil audivisse de controversis illius temporis arianos inter et catholicos circa religionem quæstionibus? Oppositam firmiter cum Vallino sententiam tenemus, qui de quodam opusculo Boetii ita sentit :

« Is libellus (*de Fide catholica*) vere aureus indignus erat
» qui diutius lateret, olim inter diversas hæresum turbines
» quæ tunc maxime Anastasii principis favore elatæ gras-
» sabantur, conscriptus ; atque eo fine, ut more tum inter
» magnos viros recepto, testatiorem faceret suam fidem

---

[1] *Qusmodo substantiæ,* Peiper, 168.
[2] *Consol.* lib. I, pr. 4.
[3] *Opere citato, passim* et 172 et seq.

» Boetius, suamque cum Ecclesia catholica communio-
» nem [1]. »

Concedunt enim ex adversariis quidam Boetium fuisse natalibus, baptismo, moribus et scriptis christianum. Baur et Nitzschius, ut suum de Boetio systema ædificent, circa religionem et theologiam eum prorsus indifferentem fingunt. Apud omnes certum est hunc virum ardenti animo et per totam vitam philosophiam coluisse, et summorum magistrorum, Platonis nempe et Aristotelis, doctrinam amplexatum esse, nec ita ut in alicujus juraret verba magistri, sed ut inter « multimodæ philosophiæ sectatores [2] » veritatem constanter investigaret. Licet enim fuerit ab adolescentia « eleaticis ac academicis studiis innutritus [3] » licet Socratem, Platonem, Aristotelem, Zenonem, Lucanum, Senecam laudibus extulerit, non tamen Eleaticorum pantheismo, non Academicorum scepticismo, non Stoicorum ac Peripateticorum fatalismo [4], non neo-platonicorum mysticismo aliquantisper adhæsit. Vere *eclecticus* philosophus fuit Boetius, ut virum e christianis partibus decet, ut fuerunt ipsi Clemens Alexandrinus, [5] Lactantius [6] et Augustinus. E philosophia,

---

[1] *De Cons. phil.*, rec. et notis illust. *Renat.* Vallinus. Lugd. Batav., 1656.

[2] *Cont. Eutych.*, Peip., 190.

[3] *Consol.*, I, pr. 1.

[4] « Quand on s'est engagé aussi avant que nous l'avons fait dans l'examen du monde d'Aristote, et qu'on le fouille jusque dans ses plus secrets replis, sans y découvrir la moindre trace de la Providence divine, on est bien forcé de dire que cette Providence n'y est pas (Ch. Lévêque, *Le premier moteur d'Aristote*, Paris, 1852, *Introd.*, p. VII). »

[5] Philosophiam autem dico non stoicam, nec platonicam, aut epicuream, aut aristotelicam, sed quæcumque ab his sectis recte dicta sunt quæ docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum, τουτὸ συμπὰν τὸ ἐκλέκτικον, dico philosophiam (*Strom.*, lib. I, c. VII).

[6] Docemus nullam sectam fuisse tam deviam, nec philosophorum quemquam tam inanem qui non viderit aliquid ex vero. — Quod si exstitisset aliquis, qui

quam « summum solamen animorum[1] » vocat Boetius, didicit in moribus temperantiam in adversis fortitudinem. Non tamen philosophia Boetio ut verum lumen adparet, sed ut « prævia luminis veri[2]; » non enim est sibi ipsi dux et imperatrix, sed habet « ducem quæ copias in arcem contrahit[3] » vallo munitam, « quo grassanti stultitiæ adspirare fas non sit[4]. » Præsto est enim auxilium divinæ gratiæ[5] si spes precesque[6] in Deo ponimus, quæ « inefficaces[7] » esse non possunt. Ergo « adversando vitia ac colendo virtutes, magna est nobis necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agimus judicis cuncta cernentis[8]. » Illum ipsum cernere[9], hunc contemplari[10] est omnium hominum finis ultimus, summa beatitudo.

Leguntur passim in *Consolatione* verba cum expressis scripturæ sacræ verbis consonantia. « Est igitur summum Bonum quod regit cuncta fortiter suaviterque disponit[11]. » « Esset infiniti stuporis... si in tanti velut Patrisfamilias

---

veritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam colligeret in unum ac redigeret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis. Sed hoc nemo facere nisi veri peritus ac sciens potest : verum autem non nisi ejus scire est qui sit doctus a Deo (*Divin. Instit.*, VII, 7).

1 *Consol.*, III, pr. 1.

2 O (philosophia) veri prævia luminis... (*Cons.*, IV, pr. 1).

3 *Consol.*, I, pr. 3.

4 *Ibid.*

5 Si quidem justæ humilitatis pretio inæstimabilem vicem divinæ gratiæ promeremur (*Consol.*, V, pr. 3).

6 Qui solus modus est quo cum Deo colloqui homines posse videantur, illique inaccessæ luci priusquam impetrent ipsa supplicandi ratione conjungi (*Cons.*, V, pr. 3).

7 *Consol.*, V, pr. 6.

8 *Ibid.*

9 *Consol.*, III, met. 9.

10 Solumque esse præmium beatitudinis, contemplatio creatoris tanta duntaxat qua ut creaturæ ad creatorem fieri potest (*de Fide cath.*, Peiper, 185).

11 *Consol.*, III, pr. 12. Cf. *Sapient.*, VIII, 1.

dispositissima domo vilia vasa colerentur, pretiosa sordescerent[1]. » De regno ejus « ipso auctore loquimur[2]. » Non solum « unumquodque ut ipsum est, ita de eo fidem capere temptare [3] » debemus, verum « ad divinitatis celsa conscendere [4]... » « quo usque possumus via rationis accedere [5]. »

Concordant enim quæ de rerum cognitione dicuntur in philosophicis et theologicis opusculis [6], de divisione scientiarum [7], de motu elementorum [8], de rebus densis [9], de numero [10], de substantia et accidentibus ac de decem prædicamentis[11]. Loquitur Boetius de « civitate[12], » de « patria[13] » a qua « exsulamus » non quod pulsi simus, nam nos ipsos pepulimus. Rex hujus civitatis frequentia civium non depulsione lætatur. Plures autem eam velle

---

1 *Consol.*, IV, pr. 1 ; cf. *Epist.* 11, *ad Tim.*, c. II, 20.

2 *Consol.*, IV, pr. 1.

3 *De Trinit.*, Peip., 152.

4 *Ibid.*, p. 150.

5 *Ibid.*

6 *Consol.*, V, pr. 4. Cf. *Contra Eutychen.* Peiper, 189 et 190. Natura est earum rerum quæ, cum sint, quoquo modo intellectu capi possunt... additum est quoquo modo, quoniam Deus et materia integro perfectoque intellectu intelligi non possunt, sed aliquo tamen modo cæterarum rerum privatione capiuntur.

7 *In Porphyr. a se.*, Migne, tom. LXIV, col. 71 ; *de Trinit.*, c. II, Peiper, 152.

8 *Cons.*, III, p. 11 ; *Consol.*, IV, met. 6 ; *de Trinit.*, Peiper, 152, 153.

9 *Cons.*, III, p. 3 ; *de Arithm.*, c. II, Migne, tom. LXIII, lib. I, col. 1083 ; *Cont. Eutych.*, Peiper, 190.

10 *De Arithm.*, Migne, tom. LXIII, lib. I, col. 1082 ; *de Trinit.*, Peiper, 154.

11 *In Categ. Arist. Comment.*; *de Trinitate*, Peiper, 156. Decem omnino prædicamenta traduntur, quæ de rebus omnibus universaliter prædicantur... pars eorum in reliquarum rerum prædicatione substantia est, pars in accidentium numero est.

12 *Consol.*, I, p. 5 ; *de Fide cath.*, Peiper, 177.

13 *Cons.*, I. p. 5 ; III, p. 12 ; IV, p. 1 ; *de Fide cath.*, Peiper, 178. Primus itaque homo ante peccatum, cum sua conjuge, incola paradisi fuit... exsul effectus terram jussus est excolere (183). Occiditur Christus..., ut assumptum hominem... secum Dei filius cœlesti habitationi sustolleret.

inhabitare desierunt [1]; nam « plures homines sunt mali [2]. » Ad hanc patriam autem « adfixis pennis [3], » reverti licet, ut illius « supernæ civitatis, cujus cives sunt angeli, numerus imminutus non permaneat [4]. » Nunc quidem « corpus invehit obliviosam molem [5], » et « mens obruitur cæcis membris [6], » sed doctrina nostra pollicetur resurrectura corpora nostra, præter corruptionem, ad regna cœlestia [7]; « sapiens dispensatio parcit viro sancto [8], » « ut ne corporeis quidem morbis agitetur; » nam, ait Boetius, quidam excellentior me ait [9] :

Ἄνδρος δὴ ἱερου δεμας αἴθερες οἰκοδόμησαν.

Quæ verba, licet locus variis codicum interpretibus corruptus videatur, certe christianum sensum sapiunt.

Jam si contulimus ea quæ de Deo in *Consolatione* leguntur cum iis quæ in theologicis opusculis scripsit Boetius, omnia inter se aptissime cohærentia invenientur. Argumentum sic dictum *morale* ad existentiam Dei confirmandam iisdem fere verbis legitur in *Consolatione* [10] et in opusculo *Quomodo substantiæ* [11]... Dum Cicero [12] et Seneca [13] de Providentia disse-

---

1 *Cons.*, I, p. 5.
2 *Cons.*, IV, p. 2.
3 *Cons.*, IV, p. 1.
4 *De Fide cath.*, Peiper, 177.
5 *Consol.*, III, met. 11.
6 *Cons.*, V, met. 3.
7 *De Fide cath.*, Peiper, 184.
8 *Cons.*, IV, p. 6.
9 *Ibid.*
10 *Cons.*, III, p. 10; Deum, rerum omnium principem bonum esse, communis humanorum conceptio probat animorum.
11 *Quomodo subst.*, Peiper, 171; quod (primum bonum) esse quidem constat, idque ex omnium doctorum indoctorumque sententia barbararumque gentium religionibus cognosci potest.
12 *Cic. Tuscul.*, I, 27.
13 *Senec*, *De Providentia.*

rentes, nunc « Deum, » nunc « deos » nominant, Boetius unum tantum esse « rerum omnium Conditorem [1], » « omnium Patrem [2] » « bonum Rectorem, opere suo præsidentem [3] » « rerum omnium Principem bonum [4] » « portam et asylum miserorum [5]; » quique sua Providentia « omnia in hoc mundo singulariter ac stabiliter administrat [6], » estque « Servator bonorum ac malorum depulsor et medicator mentium [7]. » His autem simillima leguntur in cæteris theologicis opusculis; et quidem in opusculo *Quomodo substantiæ*... Deum esse essentialiter ac re a cæteris rebus distinctum, ut contra pantheistas docet sana philosophia, expressis verbis asserit Boetius : « si substantialia bona sunt, quoniam non participant bonitatem... primo sint bono similia, ac per hoc, hoc ipsum bonum erunt... ex quo fit, ut omnia quæ sunt Deus sint, quod dictu nefas est [8]. »

Deus bonus, æternus, sapiens, justus, in quo « nihil aliud est nisi quod est, ac per hoc ipsum Deus est [9], » in libro *de Trinitate* laudatur; in opusculo autem *Utrum Pater*, idem adhuc expressius dicitur : « Deus vero veritas, justitia, bonitas, omnipotentia, substantia, immutabilitas, virtus, sapientia, et quidquid hujusmodi excogitari potest substantialiter de divinitate dicuntur [10]. » In idem recidunt

---

1 *Cons.*, I, p. 5.
2 *Cons.*, III, p. 6.
3 *Cons.*, IV, p. 5.
4 *Cons.*, III, p. 10.
5 *Ibid.*
6 *Cons.*, IV, p. 6.
7 *Ibid.*
8 *Quomodo subst.*, Peip., 170.
9 *De Trinit.*, Peip., 157.
10 *Utrum Pater*, Peiper, 167.

quæ in libro *Contra Eutychen* legimus : « Quod si ex illo cuncta sunt bona qui solus est bonus, illud potius bonum esse credendum est, quod illa incommutabilis bonitas atque omnium bonorum causa præscribit[1]. » Demum in libello *de Fide catholica* his solennibus verbis exaltatur divina natura : « Ergo divina ex æterno natura et in æternum sine aliqua mutabilitate perdurans, sibi tantum conscia voluntate, sponte, mundum voluit fabricare, eumque, cum omnino non esset, fecit ut esset, nec ex sua substantia protulit, ne divinus natura crederetur, neque aliunde molitus est, ne jam exstitisse aliquid quod ejus voluntatem existentia propriæ naturæ juravet... sed verbo produxit cœlos, terram creavit, ita ut cœlesti habitatione dignas cœlo naturas efficeret, ac terræ terrena componeret[2]. » Hic autem Deus « medicator mentium, » « ipsum suum Unigenitum per Virginem nasci constituit, ut humana salus... rursus repararetur[3] » qui « medicinalia quædam tribuit sacramenta[4]; » naturæ humanæ pœnæ submissæ, quæ gratiæ dono, non suis meritis, totum quod est salutis suæ afferret.

Inter se autem maxima concordia pollent theologica, cum de Deo trino, de Filio Dei incarnato, de Maria Virgine, de hæresibus, de media inter duo extrema sanæ doctrinæ via, quæ in decursu temporis ab Ecclesia catholica tenetur.

Substantialem esse Filii Dei a Patre productionem asserit

---

[1] *Cont. Eutych.*, Peip., 218.
[2] *De Fide cath.*, Peip., 177.
[3] *Ibid.*, p. 182.
[4] *Ibid.*, p. 184.

Boetius, relativam vero esse prædicationem Patris [1]. Hæc maxima regula est, in trium personarum appellatione. Nam « in Deo nullæ sunt differentiæ quibus Deus ab Deo differat. Ubi absunt differentiæ, ibi abest pluralitas; ubi abest pluralitas, adest unitas [2]. » Ideo « Pater, Filius, Spiritus sanctus, unus non tres dii [3]. » Quæ e libro de *Trinitate* exscribimus leguntur verbo tenus in cæteris opusculis [4]. Ad exactissimam christianorum dogmatum normam disserit Boetius de Verbo Dei incarnato, per totum librum *Contra Eutychen*, et passim in libello *de Fide catholica*. Hæc tantum referre sufficiat : « Unus idemque et homo perfectus et » Deus : Deus quidem, quod sit ex Patris substantia » genitus, homo vero, quod ex Maria sit virgine pro» creatus. Item qui homo Deus, eo quod a Deo fuerit » assumptus. Et qui Deus homo, quoniam vestitus homine » sit, cum in una eademque persona aliud sit divinitas » quæ suscepit, aliud quam suscepit humanitas : idem » tamen Deus atque homo est [5]. » « Nec vile videatur quod » Dei Filius ex Virgine natus est, quoniam præter naturæ » modum conceptus et editus est. Virgo itaque de Spiritu » sancto incarnatum Dei Filium concepit, virgo peperit, » post ejus editionem virgo permansit. Atque hominis » factus est idemque Dei filius, ita ut in eo et divinæ » naturæ radiaret splendor et humanæ fragilitatis appa» reret assumptio [6]. »

---

1 *De Trinitate*, Peiper, 161.
2 *Ibid.*, 161.
3 *Ibid.*, 151.
4 *Utrum Pater...*, Peiper, 165, et *de Fide cath.*, p. 175 et 176.
5 *Cont. Eut.*, p. 212.
6 *De Fide cath.*, p. 182. His quæ de substantiarum permutatione dicuntur

Illud etiam notetur, non levioris momenti pro nostra thesi, quod in theologicis opusculis occurrunt sat multa nomina extra communem theologorum sphæram vagantia, ut « Achillis statua, » « Aristoteles, » « Chremes, » « Tullius Cicero, » « Hecuba, » « Plato, » etc., ut apud Peiperum, in secundo indice [1], videre est; occurrunt etiam hæreticorum nomina, Nestorius et Eutyches « repertores hæreseos [2], » Pelagius « qui proprii nominis hæresim dedicavit [3], » Arius, Sabellius « carnaliter sentientes [4], » Manichæi « nihil aliud cogitantes nisi carnaliter [5], » quæ omnia nonnisi Boetium scriptorem indigitant, laicum scilicet virum, professione philosophum, occasione theologum. Doctrinæ ecclesiasticæ mediam inter hæresum scopulos viam commendat Boetius. « Media hæc est inter duas » hæreses via, sicut virtutes quoque medium tenent. Omnia » enim virtus in medio rerum decore locata consistit. Si » quid enim vel ultra vel infra quam oportuerit fiat, a vir» tute disceditur. Medietatem igitur virtus tenet [6]. » His fere iisdem verbis homines in prælio cum fortuna positos, medium tenere locum jubet, dum dicit : « Firmis medium » viribus occupate. Quidquid aut infra subsistit aut ultra » progreditur, habet contemptum felicitatis, non habet

---

Contra Eutych., p. 206 et seq., apprime consonant ea quæ scripsit Boetius in *I Categor.*, vid., Migne, tom. LXIV, col. 198 et 199. Idem dicendum in genere de variis definitionibus naturæ, substantiæ, motus, differentiæ..., etc., quæ omnes ex Aristotele desumuntur. Definitio *personæ* quæ in scholis adhuc viget ipsi Boetio adscribitur.

[1] Peiper, p. 242.
[2] *De Fide cath.*, Peip., 183.
[3] *Ibid.*, p. 179.
[4] *Ibid.*, p. 176.
[5] *Ibid.*
[6] *Cont. Eutych.*, Peip., 213.

» præmium laboris [1]. » Igitur conjunctissime aptantur et inter se cohærent præcipua, tum philosophicæ, tum theologicæ doctrinæ capita, quæ in Boetii opusculis occurrunt; concludendum ergo, Anicium nostrum esse genuinum auctorem et libri de *Consolatione philosophiæ* et eorum opusculorum quæ christianam theologiam continent.

---

[1] *Consol.*, lib. IV, pr. 7.

CONCLUSIO.

Ex multis ergo argumentis quæ ab adversariis afferuntur nullum jam integrum ac firmum remanet. Totum Nitzschii de Boetio systema evertitur eo ipso quod Boetii philosophia minime christianæ fidei opposita demonstratur; Obbarii tela, insolenti nimium manu emissa, confracta jacent; idem dicendum de conjecturis quas confinxerunt alii, firmiorum argumentorum inopes. Nos cum veterum e medio ævo philosophorum Schola, Boetium colimus ac veneramur ut virum christianum, ut theologum, ut philosophum, qui salva et incolumi catholicæ fidei regula, altioris sapientiæ studio flagraverit, ac difficillimas quæstiones, utcumque potuit, via rationis solvere tentaverit.

Huic ergo nostræ disquisitioni finem his D. Thomæ verbis imponamus : « Naturalis mentis humanæ intuitus » pondere corruptibilis corporis aggravatus in prima veri- » tatis luce, ex qua omnia sunt facile cognoscibilia defigi » non potest : unde oportet quod secundum naturalis » cognitionis progressum ratio a posterioribus in priora » deveniat et a creaturis in Deum... creaturæ *autem* per » quas naturaliter cognoscitur Deus, in infinitum ab ipso » distant. Sed quia in his quæ procul videntur, facile » visus decipitur, idcirco ex creaturis in Deum cognos- » cendum tendentes, in errores multiplices inciderunt...

» Et ideo Deus humano generi aliam tutam viam cogni-
» tionis providit, suam notitiam per fidem mentibus homi-
» num infundens [1]. » Ergo infirmitatis humanæ memor, philosophus ac theologus fuit Boetius, et naturalem cognitionis ordinem insecutus est, et divinæ scientiæ occulta investigavit, quantum in via possibile est. De illo ergo sit dictum : *Ponam in lucem scientiam illius* (SAP., VI, 24).

---

[1] *In lib. Boetii sup. Trinit.,* Proœm.

INDEX

TERTIA PARS.

DE BOETIO THEOLOGO.

Angers, imp. E. Barassé — Germain & G. Grassin, Succ. — 944-77.

GERMAIN & GRASSIN
imprimeurs.